UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensionis quartæ Ioannis Pappi, Doctoris Theologi, Partes Tres Priores

Pappus, Johann

Tvbingæ

VD16 P 331

urn:nbn:de:hbz:466:1-36581

Visual Library

H H W

1 5 8 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 956.

D
351

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Defensionis quartæ,

IOANNIS PAPPI,

DOCTORIS THEOLOGI,

PARTES TRES

PRIORES,

Pro Ecclesijs Augustanæ Confessionis,

&

Pro libro Concordiæ.

Cum Præfatione Ministrorum Ecclesiæ Argentinensis.

TVBINGÆ,

Excudebat Georgius Gruppenbachius,

Anno M.D.LXXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MINISTRI ECCLESIÆ
Argentoratensis, Lectori candido, Sal. in DOMINO.

CVM INITIO MOTA HÆC ESset inter Academiæ nostræ Rectorem, D. Ioannem Sturmium, & Collegam nostrum, Doct. Ioannem Pappum, controuersia: nihil profectò nobis prius fuit, quàm vt & ipsi, quæ ad eam conciliandam pertinerent, omnia sedulò tentaremus, & Scholarchas, Academiæ patronos, idem vt ipsi quoq; facerent, cohortaremur. Etsi verò ne his quidem studiũ & opera defuit, vel componendi, vel etiam tollendi huius dissidij: plus tamen inquietorum quorundam potuit audacia, qui non priùs conquiescendum sibi esse putârũt, quàm publica isthæc fieret disceptatio, eius q; finiendæ spes omnis tolleretur. Et sanè istud iam sibi obtinuisse videntur, vt si etiam authoritate Magistratus nostri, redintegretur Concordia docentium in Schola & Ecclesia: perpetuos tamen aliunde aduersarios habeamus, quibus cum dum nos pugnamus, ipsi quoq; suas interim res agere sese posse confidant. Sed de istis horum hominum consilijs, qualia fuerint, tempus ipsum quandoq; testabitur, & Dominus, ita vt promisit, aderit afflictæ suæ Ecclesiæ.

Nunc autem, cùm quartam Collegæ nostri Doct. Pappi defensionem legissemus: animaduertimus, ipsum nõ ad ea tantùm respondisse, quæ vel controuersiæ ipsius propria sunt, vel ipsi priuatim obiecta fuerunt: sed illa etiam refutanda sumpsisse, quæ communiter de nobis omnibus, qui nunc in Ecclesia hac Argentinensi docemus, Antipappus quartus hinc inde conqueritur: & gratias habemus Collegæ nostro, quòd nostri etiam defensionem susceperit.

Quamuis n. planè constitueramus, huic nos cõtrouersiæ nequaquã admiscere: tamẽ quia tã apertè, & tam sine causa, quartus ille Anti-

pappus ad nos viam affectat: ne agnoscere crimina illa, quæ nobis obijciuntur, silentio nostro videamur: non possumus non ad ea breuissimè respondere: & simul veritati laboranti in hac causa, testimonium perhibere.

Accusamur ergo, quòd maiorum nostrorum doctrinam non sequamur, quòd Ciuitatum quatuor Confeßionem, & Catechismos antecessorum nostrorum aspernemur, quòd per nos anni 1536. Concordiũ non liceat percolere: quòd dogmata multa noua & horrenda, in Ecclesiam Argentinensem introduxerimus. Sed tota hæc accusatio, vt minimè noua est: ita ab anni 1563. Concordia tota discussa est, quæ nos ad Augustanam Principũ Confeßionẽ Numburgi subscriptam remittit, vt secundum eam doceamus, eaq; sit norma & regula totius doctrinæ, non tam de Cœna Domini, quàm & reliquis articulis omnibus, ex verbo Dei sincero & incorrupto, in Scholis & Ecclesijs docendi. Ex qua Concordia, vtrùm iure, an iniuria de quatuor Ciuitatum Confeßione accusemur, Lectori iudicium relinquimus. Nam de anni 1536. Concordia, quæ ipsa huic anni 1563. formulæ ad verbum inserta est, ita manifesta res, vt refutatione non indigeat.

Sed quia hanc fortasse verißimam excusationem nostram præuidit Antipappus: ideò secundo loco criminatur, nos illam 1563. anni Concordiam ne vnum quidem diem seruasse. Qui seruârint, aut non seruârint: ij ne, qui Ciuitatum Confeßionem Principum Confeßioni opponunt, an ij, qui Principum Confeßionem illa formula approbatam sequuntur, rursus & Lectoris, & ipsius formulæ iudicium esto. Adde quòd hæc secunda etiam querela, ante quinquennium, publica Magistratus nostri authoritate, sublata & abolita fuit: vt profectò in hoc tempore non debuerit repeti.

Tertio deinde loco, in conciones nostras paßim inuehitur: non modò, quòd maledictis & conuitijs certent: sed etiã quòd praua & absurda dogmata, cũ magna verborũ petulantia asserant: quòd ascẽsum verũ negent, quòd duos alios confingant, quòd corpus Christi in cantharis

tharis cerevisiarijs statuant, quòd in cœlo Dei & Diabolorũ, beatorũ & damnatorum habitacula permisceant, & quæ sunt huius generis alia non pauca, de quibus, benevolum lectorem ad quartam hanc Doct. Pappi Defensionem remittimus. De maledictis autem & convitijs, quæ nobis imputantur, parati sumus, & Magistratui nostro, & iusto iudici, ἀρχιποιμένι nostro Iesu Christo rationem reddere. Interim tamen miramur, istis hominibus, qui tam iracundè commoventur, quoties gravius aliquid aut vehementius in eos dicitur (si tamen nimis graviter aut vehementer in eos dici potest) in mentem non venire, quid ipsi paulò post Filio hominis, adventanti iam in nubibus cœli, cum gloria & potentia magna, responsuri sint, quòd & gloriam ipsius atque maiestatem, & ministros gloriæ istius assertores, suis convitijs & maledictis tam impotenter & fædè lacerarunt.

Nos sanè breui hoc scripto publicè testamur, quòd istarum obtrectationum, quibus Antipappi isti contra viros optimos & doctissimos, quorum opera in conscribendo libro Concordiæ, Illustriss. Electores & Principes vsi fuerunt, scatent, nequaquam esse velimus participes. Vt enim ipsum librum Concordiæ, accuratè à nobis lectum & consideratum, iudicamus verbo Dei, & Augustanæ Confessioni per omnia consentaneum esse, & pro hoc beneficio, Ecclesiæ præstito, æterno Deo gratias agimus: ita etiam authores illius libri, optimè de Ecclesia meritos esse sentimus, minimeq; dignos putamus, qui ob nauatam tam egregiam Ecclesiæ operam, tam calumniosè & acerbè excipiantur.

Sed habent & isti libri huius authores, & nos etiam, & quotquot doctrinam hanc sequuntur, suauissimam profectò apud Lucam consolationem: Beati eritis, cùm vos oderint homines, & separaverint vos, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis, Gaudete in die illo, & exultate, Ecce enim merces vestra multa est in cœlis. Luc. 6.

Vt autem ad Doct. Pappum Collegam nostrum reuertamur: iudicamus verè ipsum, & modestè Antipappo quarto respondisse: & nominatim, quo ad historias attinet, quas Defensioni suæ necessariò interponit, testamur, bona illas fide ab eo recitari. Neque enim ipse huius controuersiæ author est: sed cùm disputationem ordinariam proposuisset, in qua neminem notauit, neminem prouocauit: ab ipso Sturmio concertationis huius initium factum est. Cùm enim tribus iam Sabbathis, pro more nostræ Academiæ, agitata illa esset disputatio: Sturmius ea fermè omnia, quæ primo Antipappo postea complexus est, in ipso Academiæ cœtu proposuit: responsionem autem, quam Pappus statim dare paratus erat, in aliud Sabbathum distulit. Quid igitur aliud potuit, aut debuit Pappus agere, quàm vt prouocatus, & tam grauiter coram illustri cœtu Academiæ accusatus, respondere cuperet?

Quod vt impetrare à Scholarchis posset, tùm demum adiutores nos ei esse cœpimus, cùm epistolam Sturmij ad Scholarchas priuatim scriptam, in qua eos laudabat, quòd Pappo interdixissent, vt ne pergeret vlterius de thesibus suis disceptare, inscijs Scholarchis, in Studiosorum, & Ciuium etiam quorundam manibus versari cognouissemus. Et tamen Pappum & nos accusat Sturmius, quòd huius controuersiæ authores simus. Ipse ad disputandum, publicè Pappum prouocauit, & diem quoque disputationis condixit, imò præscripsit: priuatim tamen scripta ad Scholarchas epistola, gratissimum sibi fore ostendit, si disputatio non procederet: quæ cuiusmodi sint, aut quomodo cum ijs consentiant, quibus tota hæc culpa in Pappum & nos transfertur, boni omnes viderint. Nos, qui ea non tàm metueremus, quàm prospiceremus, quæ postea euenerunt, id operam dedimus, vt authoribus Scholarchis, audito priùs vtroque, tota posset componi controuersia: & quia verebantur nonnulli, si publica rursus haberetur disputatio, ne motus aliquis grauior existeret, vtilius fore ostendimus Scholarchis, si ipsi aliquos ex Professoribus,

soribus, & Ministris Ecclesiæ sibi aduocarent.

Quod consilium cùm placuisset Scholarchis: cumq; ipsi omnibus ijs, qui dictationi Antipappi primi in Collegio Thomano affuerunt, edixissent, ne quicquam à quoquam enunciaretur: postridie tamen ab amicis Sturmij, qui vel interfuerant, vel ab ijs, qui interfuerant, quæ acta essent, audiuerant, contumeliosa quædam primi illius Antipappi epitome sparsa fuit, quemadmodum & proximis sequentibus mensibus, Antipappus maior & epitomicus à plurimis, non modò in hac vrbe, sed etiam alibi, lectitati & descripti fuerunt, cùm Scholarchis persuasum esset, nullum aliud haberi exemplar, nisi quod ipsis fuerat oblatum. Et tamen, cùm isthæc idoneis testimonijs probare possimus, non dubitat Sturmius, & Pappum, & nos, non modò inchoatæ, sed etiam publicatæ huius controuersiæ, quam nos modis omnibus sopire conati fuimus, accusare.

Deinde minimè profectò verum est, quod Antipappus quartus toties inculcat, Pappum in Senatu dixisse, se à Schola quoque mandatum habere petendæ subscriptionis. Nostro nomine verba fecit: imò scriptam nostram sententiam recitauit: eiq; quatuor etiam alij ex conuentu nostro Academico adfuerunt, qui vnâ cum Senatu testari possunt, quid dixerit, aut recitauerit, ipsa adhuc scripta nostra sententia, in Cancellis Reipubl. asseruatur: in qua nihil tale scriptum reperitur. Et tamen quantam ex hoc mendacio inuidiam Pappo facit Sturmius? ita vt ne admonitus quidem desistat hoc ei imputare, quod ab ipso nunquam tamen factum est, & admissum.

Quæ cùm ita sint, etiam atque etiam monemus veritatis cupidum lectorem, ne sibi Antipapporum eloquentiam, & nigro sale contaminatam potiùs, quàm ornatã dicacitatem patiatur imponere: sed rem ipsam, qua de agitur, accuratè, & ἄνευ παθῶν consideret: & cùm considerauerit, vel illud ex Platone in memoriam reuocet. Lib. 2. de legibus.

Εἁν τις ἁλῷ δὶς ψευδομαρτυρῶν, τοῦτον μηκέτι νόμος ἀναγκαζέτω μηδεὶς μαρτυρεῖν: ἐὰν δὲ τρὶς, μηκέτι ἐξέστω τούτῳ μαρτυρεῖν, h. e. Si

quis

quis falsi his fuerit conuictus, nulla eum deinceps lex testimonium cogat dicere: si ter, ne liceat quidem ei ampliùs testimonium perhibere. Reperiet multa falsa testimonia in Antipappis, de libri Concordiæ authoribus, de nobis, de Pappo nostro: & quid de Antipappis ex lege ista Platonica statuendum sit, statim intelliget.

Atque ista nos defendendi nos causa, & excusandi nostram Ecclesiam: ne vel doctrinam, quæ in libro Concordiæ proponitur, improbare, vel istas Antipapporum criminationes videremur agnoscere.

Oramus autem æternum Deum, Patrem Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi, vt ipse his exulceratis afflictissimæ suæ Ecclesiæ vulneribus medeatur, & Satanam sub pedes nostros conterat velociter, & suam nobis pacem largiatur, quam mundus dare non potest: vt simus vnum in ipso, sicut ipse & Pater vnum sunt, Deus benedictus in secula, Amen. Perscript. Argentorati, postrid. Cal. Decemb. 1580.

AD

AD NOBILES, CLARISSIMOS, ET PRVDENTISSIMOS VIROS, SCHOLARCHAS, ET ACADEMIAE PATRONOS,

Ioh. Philippum à Kettenheim, Prætorium, Ioh. Carolum Lorcherum, Consularem, Fridericum Gotteshemiũ, Tredecemuirum,

IOHANNIS PAPPI, DOCTORIS THEOLOgi, Defensionis quartæ tres partes priores.

GRauis sanè & pernecessaria est omnibus pijs Ecclesiæ Ministris, Diui Apostoli ad Timotheum commonitio, Amplissimi D. D. D. Scholarchæ: Seruum Domini non oportet litigare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos, cum mansuetudine erudientem eos, qui obsistunt. 2. Tim. 2. Quam commonitionem aduersus Cresconium Grammaticum exponens Augustinus, Intende, inquit, quem noluit litigare, voluit tamen in modestia corripere diuersa sentientes: ne Dei seruus prohibitionem petulantiæ, occasionem putaret esse pigritiæ. Verùm quia multi & ipsam correptionem, quæ modestè fit, vel peccatis suis fauentes, vel, quid respondeant, non inuenientes, nec tamen veritati acquiescentes, onerosè ac molestè ferunt: eos, qui secum sedulò agunt, nec ab eorum conuincendo errore dissimulant, liti- Lib. 1. cap. 6.

giosos & contentiosos vocant. Falsitas enim, quæ nudari, & redargui metuit, eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accusat.

Facit autem ista commonitio, & hæc istius commonitionis Augustiniana explicatio, vt hac etiam vice Sturmio respondendum putem, neque propterea litigiosi & contentiosi probrum extimescam. Nunquid enim, vt & ea, quæ apud Augustinum sequuntur, adijciam, ideò ab hac instantia desistendum est? Vide quemadmodum Timotheum idem astringat Apostolus, ne propter homines, quibus insuauis est prædicatio veritatis, aliqua ei segnitia prædicandi subreperet: Testificor, inquit, coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per manifestationem & regnum eius, prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa, in omni longanimitate & doctrina. Quis hæc audiens, si Deo fideliter seruit, si dolosus operarius non est, ab hac diligentia & instantia conquiescat? quis sub tanta testificatione segnis esse audeat?

2. Timoth. 4.

Quis autem nostrûm reuera litigiosus & contentiosus sit, & à quo contentionis huiusce principium sit natum: tametsi proxima quoque προσφωνήσει vobis ostendi, rursus tamen, quotiescunque id petetis, & audire me voletis, ostendere vobis paratus sum. Liquidò enim, & quasi ad oculum demonstrare vobis possum, neque authorem me esse huius dissidij, neque mea culpa factum, vt contentionis huius acta in aliorum manus deuenirent: sed eosdem illos crabrones Sturmianos, qui incendium hoc excitarunt, omnem quo-

que

que lapidem mouisse, vt quàm latissimè & longissimè κάτοπτρα illa sua innotescerent. Nunc aũt de re ipsa prius, quæ inter nos controuertitur, ea, quæ videbuntur necessaria, respondebo. Ante omnia tamen status ipse, quo omnis nostra causa continetur, repetendus mihi est: vt & ego, quid præcipuè obtinendum sit, recorder, & vos, Amplissimi D. D. D. Scholarchæ, quid maximè spectandum vobis sit, intelligatis.

Fatetur autem Sturmius, causam hanc plurbus iam, quàm initio erat, controuersijs implicatam esse: & quinque commemorat, de quibus iudicium faciendum sit, & ferenda sententia. 1. An verecundè, & appositè ad Concordiam retinendam in Academia & Ecclesia, eo tempore has theses de damnatione errorum publicârim, quo tempore à Senatu postulabam (Conuentus equidem Ecclesiastici iussu & nomine) vt formulæ Concordiæ subscriberetur? 2. An rectè me defenderim, quòd re cum ipso non communicata, theses diuulgârim? Duo hæc in quæstione fuisse non nego: & spero, me æquis iudicibus facilimè probare posse, atque adeò duabus iam Defensionibus meis primis vobis probasse: neque inuerecundas, aut intempestiuas meas theses fuisse, neque ijs diuulgatis, Rectoris me authoritatem imminuisse, quanquam de altero isto, ipse me excusat Sturmius, cùm conqueritur, Theologos in conuentibus Academicis semper recusasse, suas theses Rectoris, & Decani, & Visitatorum subijcere iudicio. Cur enim ego faciam, quod Theologi, & quidem in conuentibus Academicis semper recusarunt

Pag. 54.
Pag. 69.

facere, & cur recusarint, grauissimas habent rationes. Tertium est, inquit, de quo faciendum iudicium est: vtra harum duarum propositionum verior & certior, & minus callida atq; Sophistica sit: ista ne illius thesis: Errores iudicio Pappi pugnantes fundamento fidei, licitum est condemnare, an hæc mea? Errores verè pugnantes vero fundamento fidei, reprehendere, refutare, condemnare semper licitum est, semperq; licebit. At ego de tertio hoc faciendum esse iudicium in controuersia pernego: & non minus veram & certam meam thesin esse affirmo: Errores repugnantes verbo Dei, & labefactantes fundamentum fidei, damnandos, h. e. dijudicandos, & refutandos, & Ecclesias monendas esse, vt à talibus erroribus, & à Doctoribus tales errores profitentibus, sibi caueant, quàm illam proximam Sturmianam: imò Sturmianam istam, quæ tam vera & certa videri vult, callidam esse dico atq; Sophisticam. Hoc enim illa agit, vt mea thesis non de veris erroribus, hoc est, verè, sed meo tantum iudicio, repugnantibus, non vero, sed falso fundamento fidei videatur agere, & condemnationem, nondum causa satis cognita, exterarum Ecclesiarum, exterorum Regum atque regnorum postulare: id quod ipsi etiam formulæ Concordiæ, non minus falsò, paulò antè obiecerat. Quartum esse dicit, an rectè Philippi Melanchthonis scripta, paucorum hominum iudicio, ex Scholis & Academijs, & Ecclesijs debeant exterminari? & huic quarto quintum addit, de eodem Philippo, vtrùm melius potuerit de Ecclesijs exteris, et illarũ doctrina iudicare, tùm, cùm cõtrouersia de cœna Dñi exagitari cœpit: an cùm Concordia composita, libris vtrinq; editis, absque vllo animi motu malo lectis atque perspectis? At ista duo, vt illud interim à Tertulliano mutuemur, nihil ad Andromachen. Philippi equidem authoritate vsus fuerat,

Disp. mea thesi 2. 4. 5.

ram, vt ostenderem, ipsum tempore non minùs periculoso, in ipsis nempe Augustanis Comitijs, anno 1530. cùm certè non ignoraret, Pontificios annos superiore in conuentu Spirensi eò spectasse, vt quoniam de Cœna Domini non eadem erat omnium Ciuitatum, quæ Principum, sententia, Principes à Ciuitatibus dirimerent, ne qua esset inter ipsos consiliorum communicatio, neq; voluntatis consensio: cùm hoc, inquam, non ignoraret Philippus, tamen eum vnà cum Brentio, de damnatione errorum idem sensisse, & ad Landgrauium Philippum perscripsisse, quòd meis ego in thesibus defendo. Neq; verò, si probauit Sturmius, ab hac Philippum sententia postremis annis discessisse: propterea verum non est, eum in hac aliquando sententia fuisse: neq; controuertitur inter nos, prior'ne illa Philippi sententia, quam publicè professus est, verior sit, an illa, in quam eum discessisse aiunt, posterior: illud autem, quod in primo Antipappo Sturmius posuerat, planè falsissimum deprehenditur, inde ab exordio reuocatæ lucis Euangelicæ, à nemine viro bono, & prudente, paciscq; amante, hanc sententiam fuisse defensam. De exterminandis autem, paucorum hominum iudicio, ex Scholis & Academijs, & Ecclesijs, Philippi scriptis agi, quis audeat affirmare, qui sciat, in ipsis adhuc Academijs Saxonicis, Vvitebergensi & Lipsensi, Locos Philippi communes, in Theologorum Scholis publicè explicari?

Sleidanus lib. 6.

Pag. 26.

Vide etiam Defensionem tertiam, pag. 117.

His igitur quinq; capitibus Sturmius controuersiam nostram includit: sed quàm verè & candidè id faciat, iam à me est ostensum. In tertio enim aperta fraus est, ad διαβολὴν, & calumniam Sophisticam accommodata: postrema duo ad rem ipsam minimè pertinent: de primis, etsi litem mihi initio mouit: res tamen ipsa loquitur, nihil aliud eum intercessione hac sua quæsiuisse, quàm vt veterem, & toties composi-

tam de Confessione quatuor Ciuitatum litem renouaret: & subscriptionem libri Concordiæ, quem ab huius Ecclesiæ ministris concordissimis probari, & Magistratui commendatum esse intellexerat, quacunq; tandem ratione impediret. Quod cùm firmis & solidis rationibus se efficere posse diffideret, ad conuitia & maledicta, tanquam ad equum, vt aiunt, confugiendum sibi putauit: vt vel ipso suorum voluminum strepitu, quasi quadrigarũ quodam impetu, veritatem, à qua desertum sese animaduertit, si posset, prosterneret & cõculcaret. Cum enim, vt de Petiliano Augustinus ait, vidisset tanta firmitate roboratam, tanta luce illustratam, quam tenemus & defendimus, veritatem, vt quid contra eam dicendum esset, quo conuicta refelleretur, inuenire non posset: cumq; attendisset etiam multorum, qui eam legerant, expectationẽ in se esse conuersam, scire cupientium, quid diceret, quid ageret, quâ euaderet, quò ex tantis angustijs, quibus eum Dei verbum circumuallarat, erumperet: hîc ille, qui debuerat cõtempta opinione vanorum, pergere in veram sanamq; sententiam, fecit, quod de talibus Scriptura prædixit: Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.

Lib. 3. cap. 1.

Psal. 52.

Vt autẽ ad ea omnia, quæ quarto hoc Antipappo contra me attulit, ordine respondeamus: neq; eadem tamen, cũ tedio & molestia Lectoris repetere sæpius cogamur: omnem illius amarulentiam tribus nos partibus distinguemus: quarũ prima erit de ijs Confessionibus, & Concordiæ formulis, quas à nobis, Ecclesiæ Argentinensis ministris, violatas esse, & quotidie violari contendit: & præsertim de Confessione quatuor Ciuitatũ, Argentinæ, Constantiæ, Memmingæ, Lindauiæ, Imper. Carolo V. in Comitijs Augustanis oblata; altera de libro Concordiæ, Illustrissimorũ quorundã Principũ, & honestissima-

ſtiſsimarũ Ciuitatũ Imperij iuſſu atq; approbatione iã edito: quem necdũ etiam lectũ, tam acerbe, tamq; hoſtiliter exagitat: tertia de contumelijs & maledictis multis atq; atrocibus, quæ aduerſus me & alios, ardens ipſe iracundia, quarto hoc Antipappo anhelauit. Nam de theſium mearum προοιμίοις & diuulgatione nihil in hoc quidem tempore habeo, quod Defenſioni meæ ſecundæ, quam nondum refutauit aduerſarius, videatur addendum.

Illa autem tria, quæ modò propoſui, dum pertracto, quæſo ego vos Scholarchæ, vt à perſonis noſtris paulisper vos tollatis, & quæſtionem potius, quæ inter nos vertitur, inquiratis: nec qui, vel quales ſimus, ſed quid pro veritate, vel contra veritatem dicamus, attendatis. Si enim de laude eruditionis, ſi de authoritate inter literatos homines, ſi de meritis erga bonas literas ageretur: quis, niſi ſtultus, aut potius inſanus, Sturmio non concederet? ne quis me in illo potiſsimùm, cui multa me debere vltrò fateor, genuinum frangere voluiſſe arbitretur. Quia verò in iſta diſquiſitione ipſe Deus, vt cum Nazianzeno loquar, hoc eſt, doctrina de Deo & Religio, ὁ κινδυνευόμενον eſt, καὶ ὁ προκείμενον, oportet ſanè non modò me, ſed ipſos huius controuerſiæ & lectores & iudices, τὰ ἄλλα παραφρονήσας, πρὸς αὐτὸν μόνον βλέπω. Is & meæ, & aduerſarij mei, & eorum, qui ipſum inflammarunt, conſcientiæ, & iudex, & teſtis eſt. Is etiam nouit, quid in hac controuerſia ſpectemus, aut quæramus ab vtraq; parte: & quis noſtrùm veram Chriſtianæ charitatis rationem ſequatur. Certè, vt infinita alia præteream, à Charitatis ſpiritu nequaquam proficiſcitur: quòd, quia conuitijs cum aduerſario non certaui, ne hoc ille quidem ferre poteſt: ſed neſcio quid de excitato à me Reuerendo & Clariſs. viro, D. Doctore Luca Oſian-

Auguſt. contra Petilianum, lib. 3. cap. 1.

Osiandro, & de consilio prudentissimi viri, & excellentiss. Iurecõsulti, Doct. Stephani Mummij, affinis mei honorandi, ad calliditatẽ & fraudem à me vsurpato confingit. Ac Doct. quidem Osiander pro seipso, vt arbitror, respondebit: Doct. autem Mummius, vt nihil à Christiana pietate alienum consuluit mihi, ita & obsequentem me habuit: neq; eius in hac controuersia mentio à Sturmio debuit fieri, nisi fortasse satis ei non est, famam meam oppugnare: nisi etiam affini meo, propterea quod conuitia Sturmiana ipsi non placent, molestiam aliquam possit creare. Sed iam ad rem ipsam accedo.

Joan-

IOHANNIS PAPPI DOCTORIS THEOLOGI, DEFENSIONIS QVARTAE PARS PRIMA: DE CONFESSIONE ECCLESIAE ET REIPVB. ARGENTINENSIS.

PRIMA ERGO CONTROVERsia est de Confessione nostræ Ciuitatis atq; Ecclesiæ: eaq; minimè noua, sed inde à Zanchiano dissidio, & illius temporis, de mutata Præceptorum & Antecessorum nostrorum doctrina, criminationibus repetita. Cur autē hanc causam toties iam victam perorare denuo Sturmius voluerit, diuinare equidem non possum: nisi quòd vespis & crabronibus suis, qui ipsum, vt ait, equitantem faciunt, hoc quoque negare non potuit, vel potiùs noluit. Ne enim hoc faceret, & ἀπονδὶ toties repetitæ, & mea etiam verecunda admonitio ipsum poterat permouere. Sed quia cramben hanc recoquendam, & pomum hoc ἔριδος, in conuiuium Deorum denuò putauit proijciendum: agè videamus, & quid in quæstione sit, & quæ vtrinq; adferantur argumenta. Duo autem videntur esse primæ huius controuersiæ præcipua capita: vnum de mente atq; sententia Confessionis eius, quam Ciuitas nostra vnà cum Constantiensibus, Memmingensibus, Lindauiēsibus, Imperatori Carolo V. in Comitijs anni 1530. obtulit, & quomodo illa cum Principum Cōfessione, eodem anno, ijs denicq; Comitijs oblata consentiat: alterum autem, cum constet, ciuitates anno statim sequente, 1532. Principum Confessioni subscripsisse, vtrùm ab eo tempore, Principum.

Defens. 3. pag. 116.

an verò superior illa ciuitatum, nostra, hoc est, Argentinensis Reipub. & Ecclesiæ confessio dici, & haberi debeat, an vtraq; coniunctim. Tunc autem de his controuersis capitibus rectissimè iudicabimus, si & Sacramentarij dissidij historiam, & ipsa Confessionis Ciuitatũ initia, sed rectius aliquanto & verius, quàm Sturmius illa commemorat, consideraueremus. Nihil verò ponam ego, quod non ex Libris iam pridem editis, liquidissimè demonstrari possit: quorum ego Librorum authoritatem, Sturmianæ memoriæ, quæ ipsi sibi οἰκοθεν μάρτυς est, longè anteponẽdam censeo. Cùm ergò anno 1524. Carolostadius libellos aliquot cõtra Lutherum edidisset, eorumq; libellorum editione, dissidio totis iam quinquaginta sex annis flagranti, facem prætulisset: Ecclesiæ huius Argentinensis ministri, qui tum erant, ne expectandam quidem Lutheri responsionem putarunt: sed Doct. Vuolff. Fabritius Capito, mense statim Octobri eiusdem anni, quid de illa controuersia Lutheri & Carolstadij sentiendum videretur, publico scripto exposuit. Quem mense deinde Decẽbri Bucerus secutus est, eiusq; libello omnes pastores, qui tunc in vrbe nostra erant, Capito, Hedio, Pollio, Niger, Lautonius, & reliqui subscripserãt: Quæ verò ipsorum tunc sententia fuerit, ista satis declarant. In Capitonis quidem iudicio, B. 4. a. *fidẽ* TANTVM *nostrã pane & vino Dominico, per recordationem corporis & sanguinis illius pascendam, & cæteras quæstiones omittendas esse.* In Buceri autem Libro, L. 1. *Ita manducandũ esse panem & bibendum vinum, vt corporis & sanguinis illius semel pro nobis traditi seriò recordemur, eaq; ratione nos spiritualiter & verè carne eius vesci, & sanguinem eius bibere.* Ista ergò nostri scripserunt & iudicarunt, priusquam, quæ Lutheri sententia esset, cognoscere potuerunt. Lutherus enim initio 1525. demum anni, Carolostadio respondere cœpit. Sed & postea

quam

quam Lutheri responsio edita esset, & Oecolampadius ad Ecclesiastas Sueuos, *de genuina verborum Domini: Hoc est corpus meum, iuxta vetustissimos authores expositione* scripsisset: hoc apertè Bucerus egit, scriptis ad aliquos literis, ne Oecolãpadio responderetur. Quod eius studium nõ minus falsè, quàm verè, iam tum Brentius, scripta ad illum epistola reprehendit: Camarinam, inquit, mouistis: iam nos adhortamini, vel ne fœtorem olfaciamus, vel ne expurgemus. Incendium per vos excitatum flagrat nunc: prohibetis ne accurramus, incendium extincturi: aut fortè, ne suspicemur vel incendium esse. Anno 1526. Bucerus Apologiam ad Brentium mense Martio edidit, & 1527. Pomerano respondit. Ex quibus Apologijs quid necesse est multa adducere, quibus, quæ tum Buceri fuerit sententia, ostendatur? An non enim ista ex hac posteriori sufficiunt? d. 5. *multa Christianorum persuasissimum habere, Lutherum pridem abundè esse confutatum, & à quolibet sacræ scientiæ tyrone posse confutari.* Et e. 16. *Lutherus Scripturæ & rationibus nondum prodijt.* Quid de disputatione Bernensi dicam, anno 1528. habita? *in qua non modò corporaliter, sed etiam* ESSENTIALITER *corpus & sanguinem Christi in Eucharistia sumi, testimonio sacræ Scripturæ probari posse negabatur:* in qua Bucerus Zuuinglij certè & Oecolampadij πρωτάτης fuit, cõtra eos, qui Luthori, hoc est, veram sententiam defendebant: in quibus Andreas Althamerus erat, Noricus Ecclesiastes, & popularis meus Burgouerus, qui tum in oppido S. Galli pastorem agebat. Quid de Arbogasto Dialogo, eodem anno edito, in quo etsi expositionem verborum cœnæ, quàm Carolostadius afferebat, sibi non satisfacere ait: Summam tamẽ sententiæ illius, vt & Silesiorũ, hoc est, Suuenckfeldij & Carolostadij haud obscurè comprobat. Quod ipsum sequente rursus 1529. anno Capito fecit, commendato quodam Sile-

siorum libello, cuius Suuenckfeldius author fuerat. *Quo in libello ita negocium omne Cœnæ Dominicæ descriptum, depictum, omniumq; oculis propositum esse affirmat, vt ipsi Deo, & fidelium conscientijs eximiè probetur, & nemo sano iudicio præditus absq; sua conscientiæ læsione, impugnare illam doctrinam possit.* Eodemq; anno, & in Colloquio Marpurgensi, Bucerus & Hedio pro Oecolampadio & Zuuinglio fecerunt: & domum reuersi, eo in libello, quo Erasmo responderunt, vel Lauatero teste,
Lauater. 176. *suam de Cœna Domini sententiam Zuuinglij per omnia consentientem professi sunt.*

Ex hac igitur historia, inde ab initio Sacramentarij dissidij, vsq; ad principium Confessionis Ciuitatũ, ex Libris publicè iampridem editis deducta, facilimè, atq; etiam rectissimè iudicari potest, cuiusmodi confessionem Theologi Argentinenses de Cœna Domini scribere debuerint, cùm ab Imperatore iussi essent, vt & alij status Protestantium, sententiam & opinionem suam exponere. Sed multò etiam clarius hoc ipsum perspicietur, si vtriusq; confessionis, & Principum & Ciuitatum origo & fons consideretur. Qua in re, historiæ, credo ego, Sleidani credetur. Is autem in fine Libri sextisic
„ habet ad verbum. Cùm mense Octobri Suabachum legati
„ Principum, ac Ciuitatum venissent (videlicet, vt de fœdere
„ ineundo ageretur:) Saxonis & Georgij Brandeburgici no-
„ mine propositum fuit: Quoniam Religionis, ac veræ do-
„ ctrinæ defensio, sit huius fundamentum fœderis atq; causa,
„ primùm oportere consentientes omnium in eo esse volun-
„ tates. Itaq; recitata fuit doctrinæ summa, capitibus aliquot
„ comprehensa, quam approbarent omnes. Argentinenses
„ autem, ac Vlmenses Legati, neq; superiori conuentu Rota-
„ censi factam eius rei mentionem esse, neq; se quicquam in
„ mandatis habere dicebant. DE COENA DOMINI NON

ERAT

ERAT EADEM OMNIVM SENTENTIA: Sicut antè quoq; diximus, & hic solus erat scrupulus. Cùm ergò decerni propterea nihil posset, alter fuit Smalkaldiæ conuentus indictus ad Idus Decembris. Et sequente Lib. 8. Visum fuit, agendum (in illo conuentu Smalcaldico) esse omnium primò de Religione, cuius nuper erant proposita capita. Rogantur itaq; Argentinenses ac Vlmenses, quid sit ipsorum in eo voluntatis atq; propositi: respondent in eandem, vt nuper sententiam: quo tempore sit primùm agi cœptum de fœdere, nullam eius rei mentionem esse factam: hoc vnum modò in deliberationem venisse, quomodo sint auxilia communicanda, si quem doctrinæ causa periclitari contingeret: quid aduersarij moliantur, ac in animo habeant, esse non obscurum. Inter illa verò doctrinæ capita, quæ sunt in medium adducta, quædam posse disputari: quòd si de ijs non conueniat inter doctos, metum esse, ne dissidium oriatur, quod aduersarijs valdè sit opportunum atq; commodum. Itaq; suum esse consilium, vt ad illud, quod initio fuit de fœdere faciundo propositum, omnis referatur deliberatio. Saxo & huic adiuncti Luneburgici fratres, & Brandeburgicus, solicitabant eos per Noribergicos, vt assentirentur. Landgrauius verò medium sese gerens, conciliationi studebat. Cùm nihil proficeret, reliquarum etiam ciuitatum Legati vocantur, & siquidem eam doctrinam per omnia probent, actionē fœderis institui posse cum ipsis, dicebatur: illi, nullum habere se eius rei mandatū, respondent, & primam vrgent actionem. Tandem ita discediturut, vt qui doctrinam hanc omnem profiteri velint, atq; recipere, Noribergam veniant, ad sextum Ianuarij diem anni sequentis, deliberandi causa, quid deinceps agendum sit. Argentinenses interea, muniendi sui causa, quò vim iniustam à se suisq; depellerent, cùm Tigurinis, Bernatibus, Basiliensi-

» bus, QVI ET VICINI ERANT, ET DOGMATE MAGIS
» CONVENIEBANT, fœdus faciunt, &c. Decretum fuit hoc
» fœdus in annos 15. Ianuarij die quinto.

Quæ huc vsq; commemorauí, Scholarchæ, vera & certa esse nemo dubitare potest: cùm non ex hominum senum memoria, quæ labi sæpè & falli potest: sæpè etiam ipsa, ne suæ causæ noceat, fallere solet & decipere: sed ex Scriptorũ, qui authoritatem habent, & testimonium veritatis, repetita sunt, & ad verbum descripta. Sed hæc à Sturmij narrationibus quantopere dissident? Vt enim concedamus ei, *prouisione aduentus Caroli Cæsaris ex Hispania, & Pontificiorum iactatis minacibus vocibus, si non expressam, certè quidem excitatam fuisse & Ciuitatum, & Principum Confessionem*, pag. 12. illud tamen, quod sequente mox pag. 13. ponit, verum planè non est, *Principes Philippo Melanchthoni, vt Augustanam Confessionem conscriberet, commisisse, & tantam tunc Melanchthonis fuisse authoritatem, vt à Melanchthone potiùs, quàm à Luthero confici illam vellent.* Primùm enim Lutherus summam quandam Confessionis, & quasi σχιαγραφίαν operis futuri, septendecim articulis complexus fuerat: qui tomo 5. Ihenensi extant pag. 14. eosq; Philippus, ad verbum penè, ipsi Confessioni Principũ inseruit. Deinde ipsa Confessio, cùm scripta iam fuisset, priùs
» quam Carolo v. Imp. offerretur, non modò censuræ princi-
» pum Theologorum, eorumq;, qui nostris Principibus à con-
» silijs fuêre, & duarum Ciuitatum, Noribergæ & Reutlingæ
» Legatis subiecta fuit: vt in Confessione sua anno 1555. edita Clariss. & eloquentissimus Theologus, Doct. Erhardus Snepfius testatur: sed ad Lutherum etiam, qui hoc durãte Comitio, Coburgi erat ad fines Franconiæ, mandato sui Principis, vt tantò vicinior esset Augustæ, si qua fortè res ipsius consilium postularet, illa ipsa missa fuit Confessio; vt sequens Illustriss.

ſtriſſ. Principis Electoris Saxoniæ Iohannis ad Lutherum te-
ſtatur epiſtola, quæ ſic habet. Salutem, Reuerende & doctiſ- «
ſime, nobis dilecte & deuote: Poſteaquam tu & aliij noſtri «
Theologi Vvitebergæ, nobis clementer mandantibus & pe- «
tentibus, Articulos de religione noſtra controuerſos ſcripto «
breui delineaſtis: nõ volumus te celare, iam M. Philippũ Me- «
lanchthonẽ denuò eos hîc Auguſtæ reuidiſſe, & in formam «
redegiſſe, quam tibi vnâ mittimus, & clementer petimus, vt «
eoſdem articulos accuratiùs reuidere & expendere non gra- «
ueris. Et ſiue ita, vt ſcripti ſunt, tibi placebũt, ſiue addendum «
aliquid, aut adimendũ eſſe cogitabis, ſcripto ſententiam tuam «
annotare, & per hũc tabellariũ ſine mora remittere benè mu- «
nitos & obſignatos velis: vt Cæſare, quem breui expectamus, «
adueniente, inſtructi & parati ſimus, 11. Maij, anno 1530. Lu- «
therus aũt 15. Maij in hanc reſcripſit ſententiã. Illuſtriſſ. Prin- «
ceps, Domine clementiſsime, Perlegi Apologiã (ita. n. ipſam «
Confeſsionẽ nominat) à M. Philippo ſcriptã, quæ mihi exi- «
miè placet, nec quicquã in ea corrigere, aut mutare poſſum, «
neq; etiã aliquid à me emendari cõueniret. Ego. n. tanta mo- «
deratione & lenitate ſtyli vti nõ poſſum. Chriſtus Dñs noſter «
adiuuet, vt copioſum & magnũ fructũ ferat, ſicut ſperamus et «
petimus, Amen. Vnde perſpicitur, in adornanda Auguſtana
Confeſsione, nõ ſolã Philippi interceſſiſſe operã: ſed & alios,
& in his præcipuè Lutherũ conſultũ fuiſſe. Propterea autem
aduerſarij Philippo tantã in conſcribenda Auguſtana Con-
feſsione authoritatẽ ſolent arrogare: vt rectè poſtea eũ feciſſe
concludãt, quòd Confeſsionẽ illã, tanq; ſuũ opus poſtea mu-
tarit. Pauci. n. ex illis quoq;, eò audacię deueniunt, vt aſſeue-
rent, Philippũ nõ ſolũ ſcitu, ſed etiã conſenſu & iuſſu Electo-
ris & Landgrauij, Confeſſionẽ mutaſſe: quẽadmodũ Sturmi-
us, pa. 14. perſuadere nobis conatur. Sed nunq; hoc nobis per-
ſuadebit, priuſq; Electoris & Landgrauij literas atq; ſigilla de

hac

hac re nobis exhibeat. Nos enim scimus, Confessionem illam non modò in Comitijs illis à Principum Theologis probatam: sed anno etiam 1537. à precipuis Germanię Ecclesiastis denuò subscriptam fuisse: vt causa planè nulla videatur afferri posse, ob quam post hanc tam solennem approbationem mutanda demum fuerit.

Sequens pag. 13. paragraphus, In comitijs verò ipsis, &c. partim rerum gestarum ordinem inuertit, partim veris falsa admiscet. Etsi enim Principum Legati cum ciuitatum Legatis, vel hi potiùs cum illis, in collocutionem venerunt: tamen neq; cognita Principum voluntate id factum videtur: cùm Elector Saxo apud Sleidanum lib. 8. apertè se excuset, sibi in Comitijs Augustæ nullum fuisse cum ijs, qui Zuuingliani vulgò putantur, commercium, neq; ostenderunt Ciuitatum Confessionem cum sua consentire, nihil pugnare: quod rursus Sleidanus his verbis negat: De Cœna Domini non idem hi, quod Saxones, atq; socij sentiebant, neq; denique statuerunt, vt simul vtranque offerrent Cæsari. Seorsim enim vtraque oblata fuit: & prior quidem Saxonica siue Principum: Ciuitatum autem interea, dum Principum Confessionis cõfutatio adornatur à Pontificijs. Actiones autem inter Legatos & Theologos Principum & ciuitatum, post vtranque demùm exhibitam Confessionem institui cœperunt. *Nam quoniam consentaneæ erant, putabant vtramq; Cæsarem accepturum:* At non erant consentaneæ, vt modò Sleidanus testatus est: & tamen vtramq; Cæsar accepit: vtramq; seorsim refutari iussit: ideoq; & illud falsissimum, quod statim sequitur: *Cæsarem auditis Pontificiæ Religionis Principibus, eorumq; Legatis, vtramq; simul accipere recusasse, alteram earum, quam vellent, acceptum sese recepisse, atq; id propterea Cæsari authores fuisse, quia non putabant posse fieri, vt tantus esset doctrinæ consensus inter prin-*

Principes & ciuitates. Legatos item de hac re ad Senatum scripsisse, & Cæsari vnam Confeßionem offerri oportere, admonuisse: Senatum respondisse, si Principes nostram approbarent, & suæ nõ esse dissentaneam faterentur, honoris causa concedendum Principibus, vt sola Principum exhiberetur Cæsari, & statibus Imperij. Hæc omnia ita manifestò falsa sunt, vt refutationem nullam desiderent. Quid enim manifestius, quàm omnibus statibus ab Imperatore permissum fuisse, vt quod quisq; vellet, proponeret in medium, scripto comprehensum? quid rursus manifestius, quàm Ciuitates de Cœna Domini, non idem, quod Saxo & socij, sensisse? Illam autem legem, siue conditionem, quis sanæ mentis, aut à Senatu nostro propositã, aut à Principibus approbatam atq; concessam existimabit, *vt nostræ Ciuitati sua domi suæ, & suis pastoribus & populo salua & integra relinqueretur Confeßio.* Si enim vtraq; consentiebat Confessio, si nihil pugnabant: quid opus erat illi alteri, quam non offerrent, tantopere cauere? Si autem non consentanea erat Principum Confessioni, Ciuitatum Confessio: cur Principum Confessionem Cæsari tradere, diuersam autem & dissentaneam domi suæ, & suis pastoribus, & populo saluam & integram relinqui voluerunt? Et addit, quasi adhuc mendaciorum satis non sit, *subscriptam à Legatis nostris, vt vna totius Imperij Confeßio esse videretur. Et hæc omnia verè confirmari posse, ait, cùm ex alijs monumentis, tùm ex Epistola Buceri ad Lycosthenem.* Videatur autem Confessionis subscriptio: quæ primo intuitu, falsissima hæc esse demonstrabit. Solæ enim duæ Respublicæ, Norica & Reutlingensis, subscripserunt tunc, cùm offerretur Confessio: & ante Comitiorum finem, Campidonenses quidem, & Heilbronnenses, & Vinshemij, & Vveissebur gij Norici subscripserunt: Argentinenses verò minimè. In epistola autem ad Lycosthenem, quantum ego memini, nihil

Sleid. lib. 7.

Idem ibid.

Pag 14.

horũ commemoratur: sed quid Suinfordię anno 1532. biennio videlicet post exhibitam Confessionem vtramq; actum sit, narratur. Ac ne tùm quidem Cæsariani arbitri, Moguntinus & Palatinus alteram, quam vellent Protestantes, sed solam Saxonicam, exclusis Zuinglianis & Anabaptistis, conditionibus pacis nominatim insertam voluerũt: quod ne epistola quidem ad Lycosthenem inficias ibit. Sequitur. *Neque*

Pag. 14. *dissimularunt simul omnes Legati, temporis causa, hanc communem omnium Confessionem scriptam esse: etiam Cæsari dari, vt ex illa non ius sit, contra nostros in conuentibus Imperij disceptare.* Neq; dissimulandum hoc loco est, rursus apertè falsum à Sturmio narrari. Non enim communi omnium nomine scripta erat: suam Ciuitates exhibuerant, non modò propter rituum & cæremoniarum diuersitatem: sed etiam propter discrepantiam doctrinæ, quapropter & 1532. anno, in illa transactione Suinfordiana, necessariũ planè ipsis fuit, modò publica pace

Sleid. lib. 8. ad Concilium vsq; frui vellent, vt promitterent coniunctis animis vnà cũ Principibus, ijs, qui de Cœna Dñi, deq; Baptismo secus docent, quàm ipsorũ habet scriptũ, exhibitum Augustæ, minimè se coniuncturos, quantũ quidem ad doctrinã attinet. Hactenus immensa caui spirarunt mendacia folles Sturmiani: Cur .n. non liceat mihi, in tanta hac causa, scapham, quod aiunt, scapham, & ligonem ligonem appellare? Nam, vt ne μνημονικὰ σφάλματα hæc esse arbitraremur, ipse Sturmius minimè necessaria sua commemoratione eorũ, qui & in Magistratu, & in Ministerio Ecclesiæ mutationem doctrinæ Pontificię primi instituerant, effecit. Quomodo enim, qui de Herlino meminisset, quòd capillos post aures leniter reiscere soleret, si quid grauius dicendũ esset: qui de Symphoriano ea nõ tacuisset, quæ ad ministri certè Ecclesiæ commẽdationem nõ pertinent: quomodo, inquam, ille, quæ tantis in

rebus

rebus publicè gesta sunt, quæ literarũ monumẽtis consignata sunt, quæ ad controuersiam istã tam grauem maximè pertinent, etiamsi oblitus esset, in memoriã tamen nõ reuocaret, nisi affectatis mendaciis veritatem obscurare constituisset. Et tamẽ ita hæc mendacia inuoluit, ita vera falsis admiscet: vt etiamsi redarguatur, elabi se posse speret. Nam anno tamen 1532. hæc facta dicet, quæ ipse ad 1530. & ad Comitia illius anni retulit: qua de re infrà rursum dicendum erit. Nunc satis mihi est, ostendisse, Sturmium historiã Confessionis Ciuitatũ perperam narrare. Mea autem historia, siue Sleidani potius, apertè conuincit contrarium eius, quod Sturmius suis narrationibus consecuturum sese sperauit: nempe Ciuitatum Cõfessionem dissentaneam à Principum Confessione habitam fuisse: & verò esse debuisse. Lubens prætereo duarum clarissimarum Ciuitatum, Memmingæ & Lindauij testimonium, quæ apertè fatentur, suos tùm concionatores Cinglianos fuisse, neq; turpe sibi putant, ab errore, in quo versati aliquando fuerunt, destitisse. Idem Geneuensis etiam Typographus testatur, Thomas Courteau, qui anno 1559. historiæ Sleidani de Confessione Ciuitatum isthæc adiecit ad marginem, pa. 109. Zuinglianorũ Confessio, pa. 115. Confutatio doctrinę Zuinglianorum, &, Zuinglianorũ responsio, pa. 131. Concordia inter Zuinglianos & Lutheranos. Theodosius item noster Rihelius, pag. 187. Ciuitates Confessionẽ suam scriptam exhibent Zuinglianam: pa. 198. Argentinensiũ Zuinglianorum dogma confutatum, quidq; ab illis petitũ, pag. 226. Zuinglianì dogma suum interpretantur, & Lutheranis satisfaciunt.

Sed hæc quamuis molesta ipsis & grauia, grata sibi tamẽ esse simulabunt, qui à Sturmij sunt partibus. Vociferabuntur enim, me hac in parte à Reuerendo & Clarissimo viro, cõuentus nostri Ecclesiastici præside, & præceptore meo pluri-

mum obseruando D. Marbachio dissidere, qui proximo contra Tossanum scripto ipsam Ciuitatum Confessionem haud obscurè probarit: neq; conciliari ista inter se posse clamabit. At nihil est, quod fieri possit facilius, modò cogitemus, in huius Confessionis διανοίᾳ dijudicanda, non ipsas modò Ciuitates, earumq; concionatores alios spectandos esse: sed ipsum inprimis authorem Bucerum. Si enim de ea doctrina quæritur, quæ ab initio dissidij Sacramentarij ad annum vsq; 1530. in Ecclesijs quatuor illarum Ciuitatum proposita fuit, clarè & verè dico, non potuisse, nec debuisse earum nomine, nisi Cinglianam Confessionem, & à Principum Confessione dissentientem offerri: id, quod de nostra Argentinensi, per singulos annos, satis euidenter probaui, & reliquæ Ciuitates, vt suprà posui, libenter fatentur. Si autem de mente & sententia Buceri vnius, qui author est Confessionis Ciuitatum, quæritur: aliud iam de eadem Confessione affirmari potest. Fatetur aliquoties Bucerus, & in epistola præsertim ad Comandrum, cuius bonam partem Defensioni meæ tertiæ inserui, se inde à lecta Lutheri maiore Confessione, melius de ipso sentire cœpisse, & de tribus, in articulo de cœna Domini, capitibus sententiam suam mutasse, neq; id tamen statim apertè fecisse, quòd speraret, se ad eandem concordiam, cunctando multos alios posse adiungere. Ergò Bucerus, quidiam tùm eam concordiam meditabatur, quæ anno demum 1536. perfecta est, ita ipsum Confessionis articulum instituit, vt commodè explicare eum, & interpretari posset: neq; tamen aliud, quàm quod antehac docuisset, confiteri videretur. Ideoq; enim veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœna fatetur, cùm alioqui, vt expressè ad Oecolampadium scribebat Philippus, absentis Christi corpus tanquā in tragœdia repræsentari sentirent. Smalcaldiæ ergò anno

statim

ſtatim 1531. Sleidano rurſus teſte (non priùs in ipſis Comitijs) «
conuenerat inter Proteſtantes, & cùm Argentinenſes ac «
Sueuicæ Ciuitates aliquot, dogma ſuum de Cœna Domini «
propoſitũ in Comitijs Auguſtæ copioſiùs tunc declaraſſent, «
recepta fuit à Saxonicis ipſorum interpretatio. De hac inter-
pretatione diligentius mihi agendum eſt: non modò, vt in-
telligatur, an à Principibus recepta ſit Ciuitatum Confeſsio,
quod iſti tantopere vrgent, ſed etiam, vt conſtantia & zelus
pro veritate, in Electore Saxoniæ, merita laude non fraude-
tur. Cuiuſmodi autem illa interpretatio fuerit, ſequentia cla-
riſsimè oſtendunt. Principio cùm eam ob cauſam, Conuen-
tus Smalcaldiam, anno 1513. indictus eſſet, vt de conciliatio-
ne & fœdere ageretur: conſultus priùs à Saxone Lutherus
fuit, quibus conditionibus cum Ciuitatibus tranſigi poſſet.
Reſpondit autem Lutherus, vt Tom. 2. Isleb. 134. videre eſt, ſi «
Argentinenſes planè conſtituerunt, non idem nobiſcũ cre- «
dere, quòd corpus & ſanguis Chriſti, etiam externè in pane «
& vino præſens ſit, & quòd à bonis & malis idem accipiatur, «
& adminiſtretur, potuiſſent ipſi ſanè hoc labore conciliatio- «
nis ſuperſedere, quemadmodum egomet Martino Bucero, «
Coburgi diligenter & clarè dixi. Deinde, cùm non multò «
poſt hanc interpretationem, in conuentu Francofurtenſi Ci- «
uitates valdè cuperent, Heluetios quoq; in fœdus recipi, Sa- «
xo per Legatos reſpondit: quoniam de Cœna Domini diuer- «
ſum ſequantur dogma, non ſibi licere ſocietatem cum ipſis «
vllam coire. Quanti ſit ipſorum coniunctio propter vires «
atq; potentiam, non ſe quidem latère: ſed eò ſibi minimè re- «
ſpiciendum eſſe, ne triſtis inde ſequatur exitus, quod iis acci- «
diſſe Scriptura teſtetur, qui muniendi ſui cauſa, cuiusque «
modi præſidijs vſi fuiſſent. Sleidanus eodem Libro octauo. «

Videtis, opinor, Scholarchæ, qualem hanc interpretationem fuisse oportuerit. Non enim in fœdus receptæ tunc Ciuitates fuissent, si adhuc, vt initio anni 1530. cum Heluetijs magis, quàm cum Saxonicis, dogmate eis conuenisset. Quid? ea, quæ apud Sleidanum eodem libro sequuntur, » an non manifestissimè hoc ipsum comprobant? Cum xi. Ca» lend. Septemb. eiusdem 1531. anni ad Saxonem venissent » Guilhelmus Nassouius & Nuenarius, Comites, magna » propter virtutem authoritatis viri, ac permissu Cæsaris de » conciliatione agerent: & ex ipsorum verbis appareret, Cæ» sari persuasum esse, quasi Zuinglij doctrinam & Anaba» ptistarum Saxo probaret, respondet, cuiusmodi sit doctri» næ suæ genus, & quid suæ ditionis Ecclesiæ ministri do» ceant, ex Augustana Confessione satis esse notum. Sed & » hoc constare, cum esset in Comitijs Augustæ, nullum sibi » fuisse cum ijs, qui Zuingliani vulgò putantur, commer» cium, sed ne postea quidem, donec sententiam illi suam ex» planassent. Zuinglianæ enim tum adhuc putabantur Ci» uitates: & quia cum ijs Saxo se coniunxerat, ipse quoque pro Cingliano incipiebat haberi: quapropter orabat, vt ad Cæsarem hoc nomine sese illi, quos dixi, Nassouius & Nue» narius purgarent. Neque præteriri hoc loco debet, quod 1532. anno Suinfordiæ euenit. Cùm enim in illo conuentu Moguntinus & Palatinus de pace ad Concilium vsque ser» uanda, hanc etiam conditionem ferrent, vt cum Cinglia» nis & Anabaptistis, qui hac pace frui vellent, nihil habe» rent commune: & in disceptatione intercessores hanc con» ditionem ita explicarent, si Zuingliani faterentur erro» rem, atque desisterent, comprehendi etiam in hac pace, » sin minus, tum deserendos, nec auxilij quicquam eis com» municandum, neque fœdus vllum cum ipsis faciendum esse:

esse : Cum hæc , inquam, ab intercessoribus proponeren-
tur , coniunctis animis omnes respondent , atque inter hos
etiam Argentinenses , Constantienses , Memmingenses, «
Lindaui , ijs , qui de Cœna Domini , deq; Baptismo secus «
docent , quam ipsorum habet scriptum exhibitum Au- «
gustæ , minime se coniuncturos esse , quantum quidem «
ad doctrinam attinet. Ad istam igitur interpretationem,
quæ secuta est , si respiciamus , non nego ita posse Ciuita-
tum Confessionum verba explicari , vt à Principum Con-
fessione non dissideat : quo etiam Doctor noster Marba-
chius respexit. Sed hanc interpretationem in isthoc tem-
pore admittere nolunt , qui eam vrgent , quique recudunt:
sed simpliciter pro Zuingliana eam , & tamen vera Con-
fessione haberi volunt. Doctor Marbachius autem pro
vera quidem agnoscit, sed secundum interpretationem mi-
nime Cinglianam. Diserte enim addit, propterea Christia-
nam illam Confessionem esse , quia veram corporis Christi
in sacra Cœna præsentiam statuat.

Cum autem περὶ διανοίας, hoc est, de mente & sententia
huius Confessionis satis multa dicta sint : tempus esse vi-
detur , vt ad alteram quoque primæ controuersiæ quæstio-
nem accedamus: Quam nam statuendum sit, nostram Con-
fessionem esse, vtrum Principum solam , an Ciuitatum so-
lam , an vtramq; coniunctim : quorum postremum Stur-
mius magno conatu contendit. Sed permulta sane sunt,
quæ hanc eius asseuerationem facilime euertunt : nos ex
multis pauca , sed valde illustria argumenta proponemus:
quibus meridiana , quod aiunt , luce clarius ostendemus,
post annum 1532. eiusq; anni conuentum Suinfurdicum,
Confessionem Ciuitatum neque solam, neque cum Prin-
cipum Confessione, sed solam principũ Confessionem, no-
stram

stram esse confessionem. Possem equidem hoc loco ea omnia repetere, quę suprà ex Sleidano de interpretatione Principibus data, de responso Saxonis ad Nuenarium & Nassauium Comites, de Heluetijs in fœdus non receptis adduxi quæ vt interpretationem admittunt, ita Confessionem ipsam non approbant, neque eam exceptionem admittunt, quòd foris Principum, domi Ciuitatum Confessionem haberi liceat. Sed propius vrgebo aduersarium. Si enim Ciuitatum Confessio, vel sola, vel cum Principum Confessione, post hanc receptam, nostra est Confessio: quid causę dicemus, quòd nullis vnquam in Comitijs, nullis in Colloquijs (quibus plærisq; Bucerus, & Ciuitatis nostræ, & Principum nomine interfuit) vlla vnquam deinceps Ciuitatum Confessionis facta mentio est? An non exceptionem hanc semel factam, semelq; admissam, si semel facta & admissa est, semper repeti oportuit, ne non pactis stare viderentur Ciuitates, quæ domi aliam sequerentur, foris aliam defenderent Confessionem? Saltem ad Tridentinum Concilium missa fuisset hæc Ciuitatum Confessio: cum Saxones suam scripsissent, & Vvirtebergici suam, & vtrorumq; Argentinenses subscripsissent. An non vno saltem verbo indicandum tunc erat, esse & aliam quandam Argentinensium Confessionem, quam saluam sibi & incolumem domi suæ esse vellent?

Sed quomodo ad Comitia, aut Colloquia, aut ad Concilium misissent hanc Confessionem, cuius sententiam ipse Bucerus non vno in loco retractauit, & ita retractauit, vt quod in Confessione Ciuitatum positum est, ipse postea Pontificijs noluerit concedere, & fassus sit se errasse. Hic sine dubio exclamabit Sturmius, & cœlum terræ miscebit, quòd ista hoc affirmare ausim. Sed nisi hoc ita vobis probauero Scholarchæ,

larchæ, vt à viro bono contradici nihil posit: nihil causæ dico, quò minus pro viro bono ego non habear. Articulo quarto Confessionis Ciuitatum explicandum erat, cuiusmodi fidei iustificationem nos ascribamus: sed ibi scriptum est: Neminem iustificari, aut vitam æternam consequi posse, nisi SVMME Deum diligat: & sequente pagina, Ea fides iustificare dicitur, quæ per charitatem efficax est. Quin imò toto illo articulo, Meriti Christi nulla planè fit mentio. Sed quid de hac explicatione, anno 1541. hoc est, vndecimo post Confessionem Ciuitatum anno, ipse Bucerus senserit, quæso vos Scholarchæ, vt cognoscatis. In Libro enim Caroli Imperatoris, quo dogmata controuersa conciliabantur, hæc perscripta esset sententia: *Firma itaque est & sana doctrina, per fidem viuam & efficacem iustificari peccatorem.* Agnoscit Confessionis Ciuitatum non modò sententiam, sed etiam verba. Sed quid ad hæc Bucerus? Vocabulum, efficax, aut tolli petit, aut ita declarari, vt intelligatur de fiducia apprehendente misericordiam propter Christum promissam, & erigente perterrefactas mentes. At hanc explicationem si in Ciuitatum Confessione quæratis, non modò eam non reperietis: sed quinto etiam sequente capite ista legetis: *Renouationem & restitutionem hominis, quæ fit & consistit per fidem, declarari, perfectamq; fieri operibus charitatis:* neq; multò post: *Nunquam perfectè beatum effici hominem, nisi per Christi spiritum eò perducatur,* VT NVLLVM EI PENITVS BONVM OPVS DESIT, *ad quod est creatus.* Sed hanc rursus explicationem, conferte, si placet, cum pag. 78. illorum Actorum. Quartæ Maluendæ sententia NOSTRAE Confessioni contradicens est, quòd is, cui remissa peccata sunt, posit auxilio gratiæ Dei sic implere præcepta Dei, vt Deo & proximo reddat, quod debet: & istud

Pag. 10. Actorum Ratisbon.

Pag. 15. eorundem Actorum.

„ bet aduersari diximus secundo & tertio capiti NOSTRÆ
„ Confessionis. Nec enim hominem salutem gratis acci-
„ pere, si reddat ipse proximo & Deo, quod debet, nec
„ opus esse ei, qui hoc præstet, satisfactione Christi. At ista
quarta Maluendæ sententia, cum Ciuitatum Confessione
minimè pugnat: neque vel secundo vel tertio Confessionis
Ciuitatum articulo de isthac quæstione agitur: sed ad Prin-
cipium Confessionem isti numeri articulorum pertinent,
quam Bucerus illo tempore, licet nostræ Reipub. Legatus,
nostram Confessionem nominabat, quod & aliàs ipsum fe-
cisse infrà ostendam. Pari ratione, si id, quod in principio
Apologiæ scriptum est, de dissidio Sacramentario, *reuera
idem sentire vtramq; partem: tantùm dissensionem esse de quibus-
dam πρέγοις, & de verbis, quibus verus intellectus Sacramento-
rum, de quo nullum esse ait controuersiam,* exponi debeat. Si istud
inquam, conferamus cum tertia Epistolæ ad Comandrum
parte, quomodo quæso conciliari ista inter se poterunt?
Quis enim affirmare audeat, eos re ipsa consentire, & qui-
dem de vsu Sacramentorum, inter quos tria hæc contro-
uertuntur, in quibus Bucerus sententiam sese mutasse his
„ verbis testatur. Nunc declarabo, quid intersit inter hæc, &
„ ea, quæ equidem de hoc mysterio antè sensi & docui, quàm
„ concordia nobis cum Luthero & Ecclesijs, quæ semper cum
„ eo fecerunt, restituta est, omnis autem varietas ista in his
„ consistit. Primùm, quòd Luthero & ijs, qui ab ipso stabant,
„ tribui crassiorem de præsentia & perceptione Domini in sa-
„ cra Cœna sententiam, quàm deprehenderim postea, &
„ nunc testificer illis vnquam fuisse: quanquam eam sententi-
„ am magis adeò inesse ipsorum verbis, quàm animis iudica-
„ bam. Deinde, quòd formas quasdam loquendi improbaui,
„ & etiam oppugnaui, tanquam illæ mentes hominum, ad
Ele-

Elementorum existimationem nimiam detraherent, & fa-
cerent nonnihil ad imminuendam sinceritatem fiduciæ in
Christum. Eæ formulæ erant, Sacramenta confirmare fi-
dem, erigere conscientiam, esse & percipi Christum in Sacra-
mento, & percipi eum CORPORALITER: QVAS FORMAS
NVNC AGNOSCO ME VSVRPARE POSSE PIE ET
VTILITER. Tertio, quod cum ijs, qui non viua veraq; fide,
Eucharistia communicant, hoc cibo salutis non fruantur, ego
illis simpliciter ademi omnem Christi in Sacramento perce-
ptionem, quam nunc non adimo. Hæc igitur secunda cau-
sa est, cur concedi Sturmio non possit, vt post anni 1531. in-
terpretationem, & 1532. pacificationem, Ciuitatum Con-
fessio vel sola, vel vnà cum Principum Confessione, pro
Ecclesiæ & Reipublicæ Argentinensis Confessione ha-
beatur.

Cui causæ & tertia accedit: quòd videlicet, cùm aliquo-
ties postea Reipublicæ nostræ Legati, vnà cum Principi-
bus, & alijs Statibus, Augustanę Confessioni subscripsissent,
nunquam tamen suam illi Confessionem exceperunt, aut
saluam sibi illam & incolumem esse voluerunt: Sed cære-
monias tantùm, quibus à Saxonicis Ecclesijs differebant,
vt & hodie differunt, exceperunt. Quod ne quis me putet
sine ratione aut certo authore affirmare: vobis ipsis, Scholar-
chæ, testibus vtar. Tu enim Ioannes Philippe à Ketten-
heim, ex propinquo tuo, viro nobilissimo & prudentissimo,
Prætore, dum viueret, & Scholarcha amplissimo Henrico à
Müinheim, sæpè isthoc sine dubio audiuisti: vos etiam
Ioannes Carole Lorchere, & Friderice Gotteshemi, in
Senatu anno 1563. fuistis, mense Martio: cum ab ar-
bitris interrogaretur Senatus, Ecquam harum Confessio-
num pro sua agnosceret: Cumq; Senatus facto decreto re-

» sponderet, Principum Confessionem suam confessionem es-
» se: quoties Principum Confessioni antehac subscriptũ à Ma-
» gistratu esset, nihil præter cæremonias esse exceptum. Et
quod maius est, Cõsul eo anno postremùm, hoc est, VII. fuit
Matthias Pfarrerus, qui vnâ cum Iacobo Sturmio Ciuita-
tum Confessionem Augustæ ante annos 33. exhibuerat:
qui cum eodem illo Sturmio plærisq; de Religione actioni-
bus publicis interfuit. Vigesimo enim septimo anno Con-
sul primùm factus fuerat: & exemplo in nostra Republica
planè singulari, septimum consulatum gessit, & ab octauo,
non toto vertente anno abfuit, mortuus 19. Ianuarij, anno
1568. cùm ad octauum consulatum sequente 1569. anno, adi-
tus ipsi patèret. Hic ergo Pfarrerus, cùm præclarè adhuc
meminisset, quæ in Comitijs Augustanis anni 1530. de Ciui-
tatum Confessione acta fuissent, & quæ deinceps consecuta:
cumq; minimè ignoraret, quid in illo dissidio Zanchiano
controuerteretur: concorditer tamen cum Senatu & XXI. vi-
ris respondit, Principum Confessionem, nostram Confes-
sionem esse: eo ipso tempore, quo contendebatur, secun-
dum Ciuitatum Confessionem, examina probandorum in
Collegio Thomano instituenda esse. Fuerunt etiam eodem
tempore in Tredecemuirorum & Quindecemuirorum or-
dine non pauci, qui cum ijs, qui initio renouatæ doctrinæ
Euangelicæ in Magistratu fuerunt, coniunctissimè vixerãt,
& mentem illorum atq; sententiam nouerant, & ita illorum
maiorum suorum, à quibus ipsi Rempub. acceperant, autho-
ritatem & existimationem venerabantur, vt nihil decernen-
dũ sibi putarent, quod ad illorum mortuorum ignominiam
vlla ratione pertineret. In his, ne plures nominem, Henricus
Mülnheimius erat, antiqua vir & nobilitate, & virtute: qui &
post Iacobũ Sturmiũ, ad Conuentus Imperij de Religione
institutos sæpissimè missus fuit: & Reip. nostrę nomine Prin-
cipum

ejpum Confessioni non semel subscripsit: qui à Zuingliano errore longè erat alienissimus, & sæpè de constanter retinenda Confessionis Principum sententia verba faciebat: qui moriens etiam, vt multi ex nobilitate, propinqui illius testari possunt, & Senatum & Ciues pro concione funebri admoneri voluit, ne se ab illa Principum Confessione paterentur auelli: qui hanc ipsam cohortationem, nisi vis morbi celerius ipsum oppressisset, scriptam Senatui & Ciuibus relinquere cogitauerat. Erat etiam in illis Georgius Leimerus, non modò virtute & prudentia, sed doctrina etiam literarum insignis, qui anno superiore 1562. secundum consulatum gesserat: & decennio post diem suũ sanctè & piè obijt: qui ita Lutheri doctrinam probauit & amauit, vt liberis etiam suis atq; nepotibus, hoc sua manu scriptum elogium reliquerit, confessionis suæ & voluntatis testimonium: **Doctor Luthers Lehre ist mit Gottes Wort noch nie vberwunden / daß sie falsch sey / aber mit gewalt widerfochten worden.** Erat etiam in illis Carolus Müigius, vir summæ & apud Senatum, & apud Ciues authoritatis, propter prudentiam, pietatem, grauitatem, multasq; alias insignes virtutes, quas eximia etiam doctrina vehementer ornabat. Is altero post tertium Consulatum anno, 1572. mense Martio, summo cum mœrore bonorum omnium extinctus est: sed quamdiu vixit, veræ Religionis studiosissimus, & patriæ quoq;, & maiorum amantissimus fuit. Et tamen isti, in quibus neq; vsum rerum, neque pietatem, neque patriæ & maiorum amorem bonus quisquam desiderauit: decreto siue responso Senatus, anno 1563. de Principum Confessione in Schola & Ecclesia retinenda, non modò non intercesserunt: sed authores etiam illius & principes fuerunt. Sed horum apud Sturmium sepulta esse videtur memoria:

& eos tantùm certo quodam suo cõsilio nominat, cum quorum plerisq; nemo ex ijs, qui nunc in Magistratu sunt, familiariter aliquando vixit: ne videlicet ab horum memoria, redargui falsæ ipsius & fictę narrationes possint, quam etiam ob causam primos tantùm in commonitione sua, Ecclesiæ ministros celebrat, ijs, qui proximè illos consecuti sunt, & qui discipuli illorum fuerant, præteritis. Si enim Glocceros etiam, & Specceros, & Flinneros, viros propter eximiam pietatem & doctrinam summis laudibus dignissimos nominasset: redargui statim & apertè potuisset. Hi enim primorum discipuli, & nostri magna ex parte præceptores, talem nobis doctrinam, qualem ipsi à primis illis acceperant, fidelissimè tradiderunt: neque vel à Zancho, vel à Sturmio, mutatæ doctrinæ maiorum, vt quidem accusabantur, convinci potuerunt.

Sed quid multis probare conor, id, quod dixi? An non ipsa Miscellaneorum Zanchi præfatio testatur, controversiam illius temporis non minimam fuisse de hac Ciuitatum Confessione? Sed quid habet illius temporis formula? Nempe non ad Ciuitatum, sed ad Principum Confessionem nos »astringit. Quod ad Cœnam Domini attinet, pius consensus »constitutus est, vt pariter in Schola & Ecclesia, conformiter »alijs pijs Ecclesijs, & verbo Dei, iuxta Augustanam Con»fessionem anno 1530. Imperatori Carolo V. à Principibus & »alijs quibusdam Romani Imperij ciuitatibus exhibitam, & »adiunctam Apologiam, Numburgi ab Electoribus & Prin»cipibus Imperij denuò subscriptam doceatur: eaq; sit norma »& regula totius doctrinæ, non tam de Cœna Domini, quàm »& reliquis articulis omnibus ex verbo Dei syncero & in»corrupto, in scholis & Ecclesijs docendo.

Pag. 12. 45. 46. 48. 49. 50. 52. 54. 55.

Sati

Satis, opinor, liquidò me demonstrasse, Scholarchæ, neque solam Ciuitatum Confessionem, neque eam Principum Confessioni adiunctam normam & regulam esse debere nostræ doctrinæ. Sed tamen quibus rationibus Sturmius contrarium probare conetur, dispiciendum est. Ita enim confidenter agit, vt cui rerum nostrarum status minus notus est, ei facilè possit imponi. Ac initiò quidem multum se fatigat in describenda primorum Senatorum & Concionatorum, qui Religionem mutarunt, historia: atque id propterea, vt contra maiorum authoritatem facere videantur, qui Principum, non Ciuitatum Confessionem sequuntur. Ac si recta via totam hanc narrationem putemus, non quòd perpetua illa nostra Confessio sit, inde efficitur: sed quòd ab illis aliquando scripta & oblata. Possum autem non minus ego quoque illis encomijs vti. Nam illi ipsi, quos laudat Sturmius, & meritò laudat explicata suæ Confessionis sententia, Principum Confessioni subscripserunt, Principum Confessionem defendi iusserunt: & post semel explicatā illam suam, nullam eius amplius, neq; in Comitijs Imperij, neq; in Colloquijs de Religione, neq; in Concilio Tridentino mentionem fecerunt. Quòd autem pag. 11. de Ciuitatum Confessione scribit Sturmius, *eam nō modò in conuentu Ecclesiastico vnanimis sententijs comprobatam, & in Senatu recitatam esse: sed etiam latam deinde ad omnes tribus, & ab his collaudatam esse, neminem esse, qui negare possit: Rem præsertim tam magnam, & tam periculosam. Quòd si ad tribus lata est: certè*, inquit, *ad Senatum rursus relata est, atque ita authore Senatu confirmata est, vt vsque ad hunc diem abrogata nondum fuerit. Nam quod Senatu rogante, tribulibus approbantibus, semel ratum & decretum est: in re præsertim graui & singulari: id absque consensu tribu-*

lium

lium præfectorum, nunquam in nostra Republica, aut irritum, aut oppressum fuit. Nihil etiam nouum, quod cum periculo magno coniunctum est, absque tribunitia authoritate, in publicum editum, eiusmodi hæc tùm erat Confessio. Et velim, addit, *meis oculis libenter aspicere illum hominem, qui dicere ausit, hanc Confessionem nostræ Ciuitatis, aut in Comitijs Augustanis fuisse reprehensam anno 1530. aut post illa, quod in Comitijs vituperatum non fuit, id à Senatu fuisse condemnatum: documentum prudentis Reipublicæ: laudem Theologorum: decus pastorum: insigne optimorum ciuium: testimonium perpetuæ doctrinæ: exemplum fortitudinis sempiternum in ciuitate.* Continenter isthæc Sturmiana recitaui, ne viderer astutè, aut argumentum istud, quo, quibus istius partibus stant, præcipuè niti solent, dissimulare, aut non satis apertè respondere. Eiusmodi autem hoc argumentum in nostra quidem vrbe est, vt in eo summam victoriæ aduersarij sine dubio collocent: ideoq; & sæpissimè à Sturmio tàm in cõmonitione, quàm in Antiprocœmio repetitur. At quàm ipsis formidabilis hic Achilles videtur: tam profectò contra nos minimè militat. Cur .n. nobiscum Sturmius expostulat: cur nos accusat: quòd relicta Ciuitatum Confessione, Principum Confessione nitamur? Eosdem illos, quos laudat, instauratores Religionis, tam ex Senatu, quàm ex Ministerio Ecclesiastico, Bœclinos, Redereros, Fridericos, Sturmios, Kniepsios, Otenhemios, Herlinos, Mügios, Pfarreros, Drachenfelsios, Danzhemios, Ebelios: Zellios item, Polliones, Firmios, Buceros, Capitones, Hediones: hos, inquam, accuset, his irascatur. Hi enim ipsi, qui Ciuitatum Confessionem scribi iusserunt, quicq; scripserunt, qui obtulerunt: Hi, hi inquam, post explicatam eam Principibus, Principum deinceps, quàm sua Confessione vti maluerunt;

runt: suisq; successoribus, tam in Magistratu, quam in Ecclesia, suo exemplo Principum Confessionem commendarunt.

Nam quòd Sturmius à nobis decretum tribulium præfectorum postulat, quo istud fieri iusserint: hoc quid aliud est, Scholarchæ, quàm istos tantopere à se laudatos viros accusare & traducere, quòd contempta & spreta tribulium præfectorum authoritate fecerint, quod facere ipsis non licuerit? Quod cuiusmodi crimen sit, vobis cogitandum relinquo. Non'ne plurimis Rebuspublicis vna hæc res perniciem attulit: quòd plebs oratores astutos & callidos secuta, & ab ipsis inflammata, de suo iure cum Patribus conscriptis h. e. cum Senatoribus decertauit? Hunc ergò oratorem tribulibus præfectis commendate, si placet, Scholarchæ, vt doceat ipsos, tribuum authoritatem multis iam annis spretam contemptamq; iacere: eos ipsos, qui ad tribus de Confessione Ciuitatum retulerunt, vsurpata postea maiore authoritate, per summam licentiam ea, quæ tribus sciuerant & decreuerant, irrita fecisse: reuocandam esse tribuum potestatem: neque concedendum Senatui, & xxi. viris, vt de rebus tantis soli statuant. Hæc orator iste vester apud tribules præfectos perorabit: his encomijs & vos & maiores vestros ornabit: hanc vobis, Senatui, & xxi. pro nauata hactenus in negocio Religionis opera, gratiam referendam ostendet, vt superbè & criminosè vos mairesq; vestri fecisse & facere videamini. Quid ni enim? Confessionem Ciuitatum tribus collaudauerunt, semelq; collaudatam nunquam abrogarunt: collaudatam verò & à seipsis aliquando, & à tribubus, relinquendam, & Principum Confessioni adhærendum esse, maiores illi vestri sine tribulium præfectorum authoritate statuerunt.

Vellet suis oculis libenter aspicere illum hominem, qui dicere ausit, istam Ciuitatum Confessionem, vt ipse loquitur, condemnatam, siue, vt nos sentimus, relictam fuisse: sub aspectum reuocet eos omnes, quos annis iam quadraginta in Magistratu vidit: eos aspiciat, qui nunc vobiscum ad gubernacula Reipubl. sedent. Hi enim sunt, qui non condemnandam quidem Ciuitatum Confessionem, sed ab ea recedendum, & Principum Confessioni adhærendum putarunt. Ita verò hoc argumentum refuto, quasi certò constet, hanc ipsam Ciuitatum Confessionem ita, vt Sturmius scribit, tribulium præfectorum authoritate confirmatam fuisse. At longè secus est. Non enim de ipsa hac Confessionis formula, præfectorum tribulium decretum initio factum fuit, sed generatim, vt verbum Dei purè annunciaretur, & abusus verbo Dei contrarij tollerentur. Huic tribulium præfectorum decreto Senatus & xxi. viri, postea semper innisi, ea vno quoque tempore de Religione consilia ceperunt, quæ existimarunt ad puritatem verbi diuini conseruandam, & ad abusus contrarios tollendos maximè pertinere. Hanc enim decreti præfectorum tribulium summam fuisse, exordium edicti cuiusdam Senatus & xxi. virorum, 18. Decemb. anno 1534. publicatum testatur. Cesset ergo de authoritate tribulium præfectorum inuidiam nobis conflare Sturmius: nisi mauult & illos, quos tantopere laudat, in eandem inuidiam pertrahere: & ipsos etiam illius temporis præfectos tribules accusare, quod Senatui & xxi. viris plus, quam oportuerit, permiserint. Nihil in, aliud nos agimus, aut vrgemus, quam vt, quod Senatus & xxi. viri illius temporis egerunt, ratum firmumq; permaneat.

Tertio deinde loco à Principibus etiam approbatam, à nemine reprehensam esse dicit Ciuitatum Confessionem: & quod maius est,

Cæsa-

Cæsarem non improbasse dicit, & vnam solam, quamuis, aut cuiusuis, postulasse. Pag. 29. At hoc non modò impudenter mentiri est, sed etiam sibiipsi turpissimè contradicere. Pag. 13. fingit, *Cùm Cæsar vnã tantùm Confessionem sibi exhiberi vellet, Senatum, ea de re à Legatis nostris certiorem factum, respondisse, honoris causa concedendum Principibus, vt sola Principum exhiberetur Cæsari & statibus Imperij, & Principes & Legatos certiores factos, suam Confessionem communiter Cæsari tradidisse, subscriptam à Legatis nostris.* Nunc à Cæsare visam fatetur, quod priùs haud rectè negauerat: sed veritati nouum addit mendacium, à Cæsare non improbatam esse. An verò improbata nõ est? Quid igitur Sleidanus? Argentinensibus atqꝫ socijs, domum Cæsaris euocatis, in ordinum consessu recitatam esse ipsorum doctrinæ confutationem, scriptum valdè prolixũ & acerbum, ea parte potissimùm, vbi de Cœna Domini tractatur. Quid Apologia Confessionis Ciuitatum, quam ob rem, aut contra quos ædita est? Sed quo ad Principes: in conuentu Smalcaldico, à Saxonicis anno 1531. receptam fuisse Ciuitatum non Confessionem, sed interpretationem, suprà audiuimus, & cuiusmodi ea interpretatio fuerit, satis ostendimus. At istud rursus factum Sturmius ad ipsam Comitiorum Augustanorum historiam, & quidem ante exhibitas Confessiones, accommodat: oblitus, quibus de rebus agat, aut loquatur, seu potiùs studiosè inuoluens omnia, vt qua de re quæstio sit, minùs intelligatur.

Succedit huic probationi Synodus anni 33. quam rursus à præfectis tribulibus probatam ait. Sed idem respondeo, quod & priùs. Si hoc Sturmius efficit, quod vult: hoc tamen nobis relinquitur, Ciuitatum Confessionem, neque ex Geneuensis Typographi Courteaui, neque Argentinensis Rihelij Scholijs, neqꝫ ex Neapolitana editione, sed ex consensu earum Ecclesiarum, quæ Augu-

stanam Principum Confessionem amplectuntur, exponendam esse: sin autem multa falsò narrat, multa, quæ vera sunt, ad aliena tempora transfert: rursus hoc nobis relinquit, cum Reipublicæ nostræ ab anno 1532. posteaquam Confessioni Principum subscripsit, pax data fuerit ad Concilium vsque, ita hoc beneficio Rempubl. nostram vsam fuisse, vt non publicæ tranquillitatis causa sentire se simularet, quod reuera non sentiebat: sed à Bucero de tribus illis capitibus edocta, Principum Confessioni, tanquam rectius hæc ipsa explicanti, subscriberet, & non modò ipsi Principum Confessioni contrarium nihil admissuram promitteret, sed etiam, quod promiserat, sanctè seruaret. Contrarium si probare potest Sturmius, quod mihi quidem non est ad fidem, ipse viderit, quomodo viris bonis placere illud possit. Anno 1532. vt pacem Religionis cõsequaris, tua relicta Confessione, Principum Confessioni te addicere: & hac pace impetrata, anno mox sequente, omissa iterum Principum Confessione, cuius beneficio pace publica fruaris, decreta domi priuatim de ea Confessione facere, quam si in illo periculo vrsisses, neque ab ea te destiturum statuisses, pax tibi nunquam fuisset promissa. Eligat ergò Sturmius, quod vult, aut aliam Confessionem approbatam in Synodo esse dicat, quàm cui pax data tùm fuerat: aut concedat, ab anno 1532. per nostram, eam Confessionem esse accipiendam, cui nostri subscripserant. Atque hoc ipsum ijs quoque respondemus, quæ de Concordia anni 1536. affert. Non refutabo hoc loco omnia, quæ de ista Concordia attulit. Rursus enim mihi de ista re dicendum erit, cum calumnias depellam, quibus Ministerium nostrum deformat. Nunc autem hoc satis fuerit refutare, quod ait Pag. 19. *Obseruatu illud dignum est, quod pastores in vrbe nostra, qui Vuitebergæ non*

fuerant

fuerant, cùm pax coiret, ita subscribebant concordiæ capitibus: vt manducationem oralem, & impiorum exciperent: id quod humaniter eis concessum est, etiam Lutheri permissu. Neq; ab vllo ciue vnquam postulatum, vt has duas manducationes quisquam comprobaret: nulla tùm in concionibus audiebatur, vel oralis, vel impiorum manducatio.

Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es: Vbi tu verò illud obseruasti, quod obseruatione tam dignũ esse ais? nempe in tuis veteribus nouis, quibus credat, qui volet: ego non credam: neq; ij credent, qui meminerunt in anni 1536. Concordia hæc inesse. De manducatione quidem orali: Et quamuis transsubstantiationem improbant, nec sentiunt corpus Christi localiter in pane includi, vel alioqui corporaliter cum pane vniri extra sumptionem Sacramenti: tamen fatentur, & sentiunt, Sacramentali vnione panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt & credunt, PORRECTO PANE, VERE SIMVL PRÆSENS ESSE ET PORRIGI CORPVS CHRISTI. Qui huic articulo subscripserunt, eos ne Sturmius dicet oralem manducationem excepisse, qualis quidem in nostris Ecclesijs traditur? Nam de pontificijs superstitionibus mox additur, vt neq; huius Ecclesiæ pastores, qui Vuitebergæ non fuerunt, cum pax coiret, neq; quisquam alius, exceptionem aliam hîc debeat quærere. Nam extra vsum, aiunt, & sumptionem, cùm panis seponitur, & seruatur in Monstrantijs, aut in processionibus circumgestatur, & ostẽditur, sicut in Papatu, ibi non sentiunt corpus Christi adesse. An verò aliquid vel cautius, vel prudentius dici potuisset, quo ea præcauerentur, quibus vos cautores tanti, concordiam istam voluistis emendare, vt oralem manducationem, quam spirituali saltem opponimus, suspectam faceretis? Sed de impiorum etiam manducatione, audite Scholarchæ, quid

» 1536. anni concordia habeat. Secundò, sentiunt institutio-
» nem huius Sacramenti per CHRISTVM factam, efficacem
» esse in Ecclesia Christiana, nec positam esse in dignitate vel
» indignitate ministri, qui Sacramentum porrigit, vel illius,
» qui accipit. Quare sicut Paulus dicit, etiam indignos Sa-
» cramentum manducare, ita etiam sentiunt, INDIGNIS VE-
» RE EXHIBERI CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI,
» ET INDIGNOS VERE ACCIPERE, CVM INSTITV-
» TIO ET MANDATVM CHRISTI DOMINI SERVAN-
» TVR. Sed tales accipiunt ad iudicium, sicut Paulus in-
» quit, quia abutuntur Sacramento, cùm sine vera pœniten-
» tia, & sine fide accipiant. Iudicent autem omnes viri boni
& pij, an hoc sit manducationem impiorum excipere, & ora-
lem. Hæc enim duo si in isthac concordia excipiantur:
quid quæso restat, in quo factam concordiam esse dicamus?
Illud magis spectemus, vt hanc concordiam cum illa Co-
mandrina epistola conferamus. Nam ad hanc anni 1536.
concordiam, sine dubio Buceri respexit, cum illa ad Co-
mandrum scriberet. Quid igitur? Initio fatetur Buce-
rus, vt suprà quoque audiuimus, se Luthero crassiorem tri-
buisse de præsentia & perceptione Domini in sacra Cœ-
na sententiam, quam deprehenderit postea illi vnquam
fuisse. Rectè ergò cum Luthero Bucerus, & cum hoc ipsi-
le fatetur, & transsubstantiationem improbari, nec cor-
pus Christi localiter in pane includi, vel alioqui cor-
poraliter cum pane vniri, extra sumptionem Sacra-
menti. Rursus Bucerus non modò admittit, sed etiam
piè & vtiliter vsurpari posse phrases quasdam testatur,
quas priùs & improbauerat, atque etiam oppugnauerat,
tanquam illæ mentes hominum ad elementorum existima-
tionem nimiam detraherent, & facerent nonnihil ad im-
minuen-

minuendam ſinceritatem fiduciæ in CHRISTVM, Sacramenta videlicet confirmare fidem, erigere conſcientiam, eſſe & percipi Chriſtum in Sacramento, & percipi corporaliter. Quid autem de his phraſibus anni 1536. concordia? Ideò enim inſtitutum eſt hoc Sacramentum, vt teſtetur, gratiam & beneficia Chriſti ſumentibus applicari, & verè corpori Chriſti inſeri, & ſanguine eius ablui eos, qui pœnitentiam verè agunt, & fide in Chriſtum ſe conſolantur. Porrò quid de manducatione indignorum, & ipſa 1536. anni concordia, & epiſtola Comandrina ſentiat, iam antea oſtendi. Nihil ergo illis ἐπιπλόοις opus erat, quæ Sturmius canit planè ante victoriam: *Saluam manſiſſe vrbi Confeſſionem, ſaluos Catechiſmos, ſaluas Cæremonias.* An non enim ſatis eſt, quòd teſtati ſunt & Suinfordiæ & Vvitebergæ, nihil ſe contra Principum Confeſſionem velle docere?

Sequitur inter Sturmiana argumenta, Statutum municipale, datum omnibus Collegijs anno 1539. in quo probandi aſtringuntur ad NOSTRAM Confeſsionem. At iſthoc argumento principium petere videtur Sturmius, hoc enim ipſum quærimus, quæ nam illo quoque anno, hoc eſt, iam inde à 1532. fuerit noſtra Confeſsio, Ciuitatum ne, an Principum. Infrà autem Collegij noſtri Thomani ſententiam atque iudicium de hac re aſcribam. Sed nunc iſtud addo, ſi hæc mens atque voluntas fuiſſet illorum, qui Decretum illud municipale condiderunt, vt Ciuitatum Confeſsionem, Principum Confeſsioni opponerent, nō ſanè video, quomodo à leuitatis crimine poſſint defendi. Sin autem eadem domi, quæ foris, ipſis fuit Confeſsio, & quæ foris, eadem domi; agè Colloquium Ratisbonenſe, biennio

poſt

post istud statutum municipale videamus, quam ibi Confessionem Bucerus Reipubl. nostræ nomine defenderit, Principum verò Confessionem defendit, nulla adiuncta Ciuitatum Confessionis mentione: & Principum Confessionem, NOSTRAM Confessionem nominauit, vt suprà ostendi. De Confessione anni 1548. Defensione tertia Sturmij respondi, quæ ab ipso nondum video esse refutata. Quod si adhuc, vt cœpit, non Confessionem illam, sed Confessionis tantùm titulum vrgebit: remittã ego illum denuò ad illa tria Comandrina capita, ad Acta etiam Ratisbonensia, vt ea, si possit, cum titulo illius anni, 1548. Confessionis conciliet.

Restat postremum Sturmij argumentum, ab eo mandato, quod anno 1534. initiò propositum, & adhuc quotannis in aliquibus tribubus repeti solet, vbi Confessionis Ciuitatũ mentio fit, & Ciues monentur, vt in agnita veritate Euangelij & verbi Dei constanter perseuerent: sed neq; istud nobis multum incommodare potest. Cùm enim posteriora semper Decreta prioribus derogent: & verò Magistratus, post istud anni 1534. edictum, de Principum Confessione, non minus præclara edicta proposuerit, illa posteriora æquissimo nos iure seruamus & sequimur.

Hactenus ostendi, Ciuitatum Confessionem nostram Confessionem, hoc est, vt anni 1563. formula habet, normam & regulam doctrinæ, amplius non esse: & contrarijs Sturmij argumentis respondi. Restat igitur, vt etiam apertius ostendam, quia Ciuitatum Confessio, nostra non amplius Confessio est, Principum econtra nostram Confessionem esse: & quidem illam primam, non mutatam, cui transsubstantiationis errorem, sed falsò, vt audiemus, Sturmius impingit. Argumenta, quibus hoc probo, ista sunt. Primùm à subscriptione prima, Suinfordiæ facta; vbi primæ certè & non

mutatæ

mutatę Confeſsioni ſubſcriptum eſt à noſtris. Alterum à teſtimonio Epiſtolæ ad Lycoſthenem, quæ & Confeſsionem & Apologiam diligenter ſanè excuſat: quòd nihil vel contra Scripturam, vel doctam & orthodoxam antiquitatem ſtatuat. Etſi verò ipſe pro me, Bucero in illa Epiſtola non aſſentior, eandem videlicet vtriuſque Confeſsionis ſententiam eſſe: quod ſupra ſatis copiosè refutaui: hoc tamen ipſi negare non poſſunt, Bucerum anno 1532. cum tam diligenter & Confeſsionem & Apologiam Saxonum excuteret, nullum tamen tranſſubſtantiationis veſtigium, nullam ſuſpicionem reperiſſe. Iam anno 1537. Smalkaldiæ & Bucerus & Fagius, cum plærisque alijs primi nominis in Germania Theologis, non mutatæ Confeſsioni ſubſcripſit: cum quidem iuſſi eſſent Theologi diligentiſſimè eam relegere, & ſicubi vel Scripturarum, vel Patrum teſtimonia ea videretur deſiderare, illa addere. In illam autem ſuam ſubſcriptionem ſic illi Theologi tum præfati ſunt. De mandato Il- «
luſtriſs. Principum & Ordinum, ac Ciuitatum Euangelij «
doctrinam profitentium, relegimus Articulos Confeſsionis «
exhibitos Imperatori in Conuentu Auguſtano, & Dei be- «
neficio omnes concionatores, qui in hoc Smalcaldenſi Con- «
uentu interfuerunt, conſentientes profitentur, ſe iuxta Ar- «
ticulos Confeſsionis & Apologiæ ſentire, & docere in ſuis «
Eccleſijs. Ideo nomina ſua ſubſcribunt. Magnum mihi hoc «
& ſingulare teſtimonium videri ſolet, Scholarchæ, quo iſt- «
hæc Principum Confeſsio & Apologia ornata eſt: quòd tanti Theologi, in quibus ipſe etiam fuit Lycoſthenes Auguſtanus, diligentiſsimè relectam Confeſsionem, & Apologiam nondum mutatam, tanto conſenſu approbarunt: & à tranſſubſtantiationis ſuſpicione liberarunt.

Addo & quartum argumentũ ab alio Buceri testimonio, quod rursus non modò à suspicione Transsubstantiationis Principum Confessionẽ liberat: sed eam ipsam NOSTRAM appellat. Bucerus ergo in libello Germanico, cuius inscriptio est: Christlich vngefahrlich Bedencken / rc. Anno 1545. edito, ita ait, fol. versa pag. Im ersten § (desselben Bedenckens) Soll das wort Gestalt / nicht
" auff die Transsubstantiation / sonder nach dem Brauch der Alten / vnsers
" **vnser Confession (welche diese Rede auch also ge-**
" **braucht hat)** verstanden werden / Nemlich / daß mit den sichtbaren Zei-
" chen / Brot vnd Wein / die vnsichtbare Gaben / der ware Leib / vnnd das ware
" Blut vnsers Herren gegeben vnd empfangen werde. Quibus verbis non hoc modò euincitur: nostram Confessionem iam tum à Bucero agnitam fuisse Principum Confessionem in cuius Germanica editione vocabulũ speciei legitur, cùm in Ciuitatum Confessione nusquam reperiatur: sed etiam primam, & non mutatam Principum Confessionem, nequaquam stabilire transsubstantiationem.

Sed duo adhuc sunt argumenta, quæ testantur, primam & non mutatam nostram Confessionem esse: vt qui his argumentis cognitis & ponderatis, diuersum tamen adhuc affirmare ausit, meritò & frontem & cor amisisse credendus sit. Præfatio siquidem Principum in librum Concordiæ apertissimè testatur, quoties noua Confessionis subscriptio facta est, & Naumburgi præsertim anno 1561. primæ & non mutatæ subscriptum esse: vt magna sit impudentia, à Doct. Osiandro Principum literas & sigilla flagitare, & contrarium persuadere hominibus velle. Ergo & nostri Legati, inter quos, propinquus, Ioh. Philippe à Kettenheim, tuus Henricus Mülhemius principem semper locum habuit, primæ & non mutatæ subscripserunt. Deinde hanc Numburgi subscriptam Confessionem Senatus non modò Conuentui

Eccle-

Ecclesiastico diligentissimè commendauit, cum primùm Legati à subscriptione domum sunt reuersi, sed etiam Concordiæ anni 1563. inseri eam voluit, vt regula & norma esset doctrinæ, tàm in schola, quàm in Ecclesia.

Sed ipsi ego causæ tam bonæ, tam claræ atq; perspicuæ diffidere videar: si pluribus vtar argumentis. Itaque primæ huic controuersiæ nostræ finem nunc faciam: si vnum adhuc aliquid commonuero. Sine dubio enim, Scholarchæ, quia causam hanc tam difficilem, & tam latè patentem videtis esse, gratias ei ageretis, qui viam & rationem vobis commonstraret, explicandę & tollendæ huius controuersię, eam, quæ & veritati maximè consentanea esset, & scholæ atque Ecclesiæ ministris, quàm facilimè probari posset. Eam ego rationem, Scholarchæ, paratam habeo: imò Collegium Thomanum, in quo præcipui sunt Professores, & ministri Ecclesiæ aliquot, paratam habet istam rationem. Loquor autem de formula Concordiæ inter Doct. Marbachium Collegij Decanum, & Conradum Hubertum seniorem: cui formulæ omnes tunc Canonici Capitulares assenserunt: ea verò ad verbum sic habet.

Quòd Conradus Hubertus senior Capituli questus est, Doctorem Marbachium Decanum in examine eorum, qui in possessionē præbendarum mittuntur, Saxonicam & Electoralem, siue Principum Confessionem multis iam annis inculcare, cùm & Statutum municipale datum capitulo, anno 1539. & formula examinis de NOSTRA tantùm, hoc est, quatuor Ciuitatum Confessione loquantur, cuius mētione omissa tacitè eam Zuinglianismi & hæreseos insimulari, cùm tamen à Principum Confessione non dissentiat: & ab illis Suinfurti, anno 1532. approbata sit: eamq; ob causam examinibus Canonicis multo iam tempore se non interfuisse.

Quodq́ Doctor Marbachius Decanus respondit, se quatuor Ciuitatum Confessionem libenter intelligere, quemadmodum Principibus Suinfurti explicata fuit: ne à Principum Confessione dissentiat: ne ue ei opponatur (quod & à Principum Confessionis socijs plerisque, & ab aduersarijs passim fiat) sed Statutum tamen & formulam examinis de Principum Confessione loqui: quam nostra Respublica iam inde ab illa declaratione suæ Confessionis, ea ipsa Confessione sua seposita, constanter retinuerit & defenderit in omnibus de Religione publicis actionibus, & Imperij conuentibus: ideoq́ rectè arbitrari à se fieri, cùm pro NOSTRA Principum siue Saxonicam Confessionem nominat: maximè cùm anni 1563. concordia, quatuor Ciuitatum Confessionis ne meminerit: quidem Principum autem Confessionem inter ea scripta, quæ norma esse debent doctrinę, vel præcipuo loco nominet.

Capitulum censuit, Confessioni quatuor Ciuitatum nihil derogandum esse, neq; eam pro Zuingliana esse habendam, propter explicationem Principibus Suinfurti factam: eaq́ in re Magistratus nostri, & præceptorum atq; antecessorum nostrorum, Martini Buceri maximè, honori & existimationi consulendum.

In Statuto tamen & in formula examinis per NOSTRAM, Principum Confessionem absq; dubio intelligi debere, propter causas à Decano explicatas, eamq́ Confessionē, vt formula Concordiæ, anni 1563. habet, normam esse debere doctrinæ huius Ecclesiæ & Scholæ.

Videri ergo Conradum Hubertum seniorem, non cum Doctore Marbachio Decano, super hac re disceptare debuisse: sed eos potiùs refellere, qui & Confessionē Ciuitatum, & Martinum Bucerum in Zuinglianas partes traducere conan

conantur: quique Ciuitatum Confessionem Principum Confessioni opponunt, tanquam contrariam, & hanc ex illa oppugnant.

Præterea causam nullam superesse Conrado Huberto seniori, cur ab examinibus Canonicis deinceps abstineat, aut vel ipse, vel quis alius collegarum, quatuor Ciuitatum Confessionem contumeliose tractari putet: si Decanus in examine, vt & antehac, pro NOSTRA Principum Confessionem nominabit.

Actum xx. Nouembris, & transactum septimo Decembris, Anni 1575. Præsentibus M. Iona Bitnero, M. Theophilo Golio, M. Conrado Dasypodio, Doctore Michaële Beuthero, Domino Iohanne Flinnero, Parocho summi templi, Iohanne Thoma, Parocho S. Nicolai, Iohanne Fabro, Parocho Diui Thomæ, M. Michaële Boschio, & Doctore Iohanne Pappo.

Hanc formulam si ratam esse iubeatis: si non patiamini, vt contra illam, vel in examinibus instituendis, vel in congressibus nostris aliquid à quoquam suscipiatur: pax est & Concordia de isthac quidem prima controuersia, in qua ego mihi non minus videor gloriæ & existimationi Maiorum nostrorum, nostræque vrbis, quàm ipse Sturmius fecerit, consuluisse. Quamobrem & ego oro vos Patres nostros: oro per vos totum Senatum: omnes tredecemuiros: omnes quindecemuiros: omnes optimates, tam nobiles, tam honestos, tam ornatos, tam prudentes viros: vt cui semel Principum Confessioni nomen dedistis, eam defendatis: & quoniam illi ipsi, qui Ciuitatum scribi iusserunt, & scripserunt Confessionem, Principum Confessioni subscribendum putarunt: & quoniam tot hoc rationes suadent, vrgent, postulant: & quoniam hoc absque maiorum vestrorum mortuo- Pag. 29.

rum ignominia, absque aduersariorum Cinglianorum infami gloriatione non potestis intermittere. Nisi enim Principum Confessionem retineatis, & eam regulam atque normam doctrinæ & examinis esse iubeatis: haud syncerè maiores vestri ei subscripsisse videbuntur: & Zuingliani, qui iam vobis inscijs, Ciuitatum Confessionem reuiderunt, de vobis nouos triumphos ducent, nouaq; statuent trophea.

Deinde oro vos, vt Concordiam inter Lutherum atque Melanchthonem, & Bucerum atque Capitonem constitutam retineatis: neque ab ea vos abduci nouis istis exceptionibus sinatis. Hac enim ratione & Concordiæ Ecclesiarum consuletis, & maiorum vestrorum laudem defendetis, vestramq;, vestris virtutibus, vestroq; exemplo accumulabitis.

Johannis

IOANNIS PAPPI,
DOCTORIS THEOLOGI,
DEFENSIONIS QVARTAE
PARS SECVNDA,

De libro Concordiæ: in qua, præter alia,

1. *De manducatione orali, & indignorum.*
2. *De Vbiquitate.*
3. *De Synodo.*
4. *Et de Confeßione duplici Sturmij.*

ADhuc se librum Concordiæ legisse Sturmius pernegat: & tamen, quæ & qualia, contra hunc librum, publica authoritate & scriptum initio, & postea editum, declamet, seu potius debacchando anhelet: nemini iam est ignotum. Est ne autem hoc Scholarchę (rursus enim vos compellabo, ad quos hæc controuersia maxime pertinet) est ne ergo hoc Christianum factum & inceptum, Illustrissimorum Imperij Electorum atque Principum, Clarissimarum Ciuitatum Confessionem tot calumnijs, maledictis, conuitijs, scommatis onerare, quam te fatearis nondum legisse? Si nulla in re perspici posset, quo spiritu Sturmius ageretur, hæc vna spiritum vertiginis & mendacij satis proderet: cui credendũ minime sit: vel potius, cui sit omnibus viribus resistendum. Quid .n. aliud conuitiator iste docebit, quam de rebus omnibus temere iudicare, sibi omnia tribuere, καὶ ἀκύειν οὐδένα οὐδενὸς οὐδέν. Plæraqę, quæ

Pag. 59. 76. 132. 138. 190.

contra

contra librum Concordiæ quartus iste Antipappus habet, prius quoque euomuerat: eaq; ego defensione mea tertia refutaueram. Nunc quasi nihil horum factum sit, ita repetit & inculcat ista tam diligenter refutata. Multis autem non tam argumentis, quàm conuitijs, contra librum Concordiæ inuehitur: sed his, quantum quidem obseruaui, præcipuis. Principio enim eum librum, quem se legisse negat, Sphinga & Chimæram nominat, idq; tum propter manducationem oralem & indignorum, tum *propter Vbiquitatem maximè, hæreticam illam matronam, Dianam mammatam, nouam in Ecclesia meretriculam, qua nulla vnquam fuerit monstrosior hæresis, qua ἀερολατρεία Idololatrica stabiliatur, ascensus Christi in disparitionem & spectrum commutetur, & in cœlo denique Dei & Diaboli, beatorum & damnatorum habitacula permisceantur.* Deinde multa enumerat horrenda, quæ ex hoc Concordiæ libro consecutura sint, abolitionem veteris Augustanæ Confessionis, & Concordiæ anni 1536. labefactationem authoritatis Philippi Melanchthonis atque Buceri, condemnationem indicta causa exterarum Ecclesiarum, persecutiones secus docentium in Scholis & Ecclesijs, secus etiam sentientium in Magistratu, violationem pacis publicæ, attractionem locustarum, hoc est, Tyrannorum & Turcarum. Itaque tertio loco Synodum flagitat pro exteris Ecclesijs, & qualem haberi Synodum velit, tanquam pro tribunali sedens, præscribit. Quin & suam Confessionem, tanquam ex Tripode dictat, quam omnes sequantur Ecclesiæ, & probent. De his igitur capitibus, secunda hac Defensionis meæ quartæ parte, quanta potero, perspicuitate agam: ac initio de Orali & Indignorum manducatione.

Cùm autem vtramq; hanc manducationem Bucerus, & in anni 1536. Concordia, & in Epistola Comandrina approbarit:

probarit: vt in priore parte docui: ipse iam Sturmius viderit, quomodo cum hac approbatione Buceri, ea conueniant, quæ ipse non modò per summam contumeliam, sed etiam non sine blasphemia contra nostras Ecclesias eructauit verius, quàm scripsit, cuiusmodi sunt ista. *Oralis illa crassa, & impiorum cruenta manducatio, hæc verborum & rerum monstra, tam inaudita, tam inuisa, natos parentum nostrorum, pag. 29. & pag. 85. Impios, atheos, latrones, peculatores, adulteros, proditores, verum corpus accipere Domini, Ore, hoc est, dentibus teri corpus Domini, illud ipsum, inquam, corpus, quod in cruce suspensum est, istud ipsum corpus Domini ab his canibus, dentibus masticari, pag. 101. vtraque manducatio, tanquam Endymion post somnum annorum 50. in lucem prodijt, circumspectans iam dudum, an quisquam sit, qui ausit refragari, &c. pag. 104. Corpus Christi verè accipi, etiam* CVM FASCIIS, VT IN CVNIS IACVIT, *pag. 105. Huc isti duo terrestres aquilæ aduolitant, minùs considerati, magis furiosi, quàm Capernaitæ erant, vt carnaliter pascantur: margaritas abijciunt, purpuram non sentiunt, concham dentibus frendunt, vt limacem vorent: & quia verum sanguinem Christi, ex sacro calice accipere & bibere rectè & νοερῶς non possunt, in cantharis cereuisiarijs bibunt, & à mensa Domini, & à Cœna, & à cœlestibus bellarijs, ad cauponas & popinas, & Silenorum pocula deuolant, pag. 106. Lutherani, qui nunc sunt & dici volunt, excepta transsubstantiatione idem dicunt (quod Pontificij, ore comedi Corpus, & manducari ab indignis, & malis & improbis Christianis, siue fidelibus) & ampliùs videntur addere, etiam ab impijs & Turcis manducari, & ore mastlicari, pag. 111. De orali manducatione Patres crassè & durè loquuntur, manibus tractari, dentibus teri, in terram cadere Corpus Domini, ore manducari dicunt: sed istud non crassè, verùm subtiliter, neque durè, sed molliter, neque asperè, sed leniter, neque horridè, sed suauiter interpretan-*

tur, Ibid. Catechumenos etiam senes à Cœna abstinebant: quòd minus paganis, vt vocant, & Turcis infidelibus, vt nunc loquimur, dabant, pag. 12. Et pro impijs & atheis pugnant vespæ meæ: & horum ori, & linguæ, & ventriculo, & stomacho diuina bellariari volunt: non pro indignis: non enim hos impios esse puto: & propter Capernaiticam suam præsentiam dimicant, 181. Non hic de indignis disputatio est, sed de impijs, de atheis: de Iuda disputatio est.

Vno quasi fasce colligaui ea, quæ Sturmius contra veram de κοινωνίᾳ corporis Christi doctrinam blasphemauit, neque quisquam immodestè me scribere, aut grauius arbitretur, quis enim in hac causa patiens sit?

Cùm oralem nos manducationem appellamus, id dicimus, quod sæpissimè Cyrillus repetit, nō fide nos tantùm, & charitate syncera Christo spiritualiter coniungi: SED ALIAM QVOQVE NOBIS CONIVNCTIONIS RATIONEM SECVNDVM CARNEM CVM ILLO ESSE. Quis enim dubitabit, inquit, Christum etiam sic vitem esse, nos autem palmites, qui vitam inde acquirimus? Audi Paulum dicentem, Quia omnes vnum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, vnum tamen in eo sumus. Omnes enim vno pane participamus. An fortasse putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ cùm in nobis fit, non ne CORPORALITER QVOQVE FACIT COMMVNICATIONE CARNIS CHRISTI, CHRISTVM IN NOBIS HABITARE? Et paulò pòst: Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, VERVM ETIAM PARTICIPATIONE NATVRALI. In quam sententiam & alij Patres magno numero non crassè, neque durè, neque asperè, neque horridè, vt ipsorum sententias ornat Sturmius; sed verè, & candidè,

In XV. cap. Iohannis.

dide, & aperte, & clare loquuntur. Tertullianus lib. de re-
surrectione carnis : Caro nostra corpore & sanguine Dei «
vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Iren. lib. 4. cap. 34. «
Quomodo autem rursus dicunt hæretici, carnem in cor- «
ruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore «
Dei & sanguine alitur? &c. Quemadmodum enim qui est «
à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non commu-
nis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus consistens: sic
& CORPORA NOSTRA EVCHARISTIAM PERCIPIEN-
TIA, iam non sunt corruptibilia. Cyprianus sermone de
lapsis: Sanctificata ora cœlestib. cibis, post corpus & sangui-
nem Domini, prophana contagia, & Idolorum reliquias re-
spuerunt. Chrysostomus homil. 59. in Matthæum. Quæ
venia nobis dabitur, imò verò, quæ supplicia nõ pendemus,
quando LINGVAM NOSTRAM, QVA DOMINICAM GV-
STAVIMVS CARNEM, Diaboli sponte linguam efficiemus?
Idem hom. 83. in Matthæum. 45. in Iohannem. 24. & 27. in
1. Corinth. 30. in 2. Corinth. in multis homilijs ad populum
Antiochenum, homilia de proditore Iuda, homil. ad Neo-
phytos, & alijs quam plurimis locis. Ambrosius ad Theodos.
Imperatorem, vt scribit Theodoretus lib. 5. cap. 18. Quibus «
oculis aspicies Dei templũ, quibus calcabis pedibus sanctum «
illius pauimentũ, quomodo manus extendes, de quibus ad- «
huc sanguis stillat iniustus, quomodo huiusmodi manibus «
suscipies sanctum Dñi corpus? qua temeritate, ORE TVO PO- «
CVLVM SANGVINIS PRECIOSI PERCIPIES, quando fu- «
rore verborũ tuorum tantus iniuste est sanguis effusus. Et «
Chrysostomi abbreuiator Theophylactus in 3. ad Col. Aper- «
te verò ore dixit, id est, quod ex Dominici corporis cõmuni- «
catione sanctificatũ est. Absurdũ itaq; vt OS ILLVD sermonis «
fœditate inquinet, QVOD CHRISTVM SVSCIPIT. Augu- «

» stinus lib. 12. contra Faustum, cap. 9. Mediatorem Dei &
» hominum, hominem Iesum Christum, carnem nobis suam
» manducandam, bibendumq; sanguinem dantem, fideli
» corde ATQVE ORE suscipimus, & Epl. 118. Placuit Spiritui
» sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in OS CHRISTI
» NI PRIVS DOMINICVM CORPVS INTRARET, quàm
» cæteri cibi.

Satis apertè hæc testimonia testantur, doctrinam de Orali manducatione, non fuisse ignotam vetustati. Quid quod ipsa institutionis verba, Oralem hanc manducationem apertè euincunt? Fatentur Sacramentarij, sed inuiti, quod reuera non credunt, nos in sacra Cœna corpore Dominico vesci, sed hoc, quod ab inuitis extortum est, sanè retineamus. Ergo corpore Dominico vescimur. Sed quomodo vesci hoc possumus? Doceant hoc nos iam non Sacramentarij, sed os veritatis, Christus Seruator, Accipite, Comedite: ergo accipiendo & comedendo id, quod ipsis porrigebat Dominus, discipuli corpore illius vescebantur. Concedatur igitur & nobis, vt tum credamus, nos corpore Domini vesci, cùm acceptum panem manducamus: at quomodo manducamus? Ore videlicet: nõ enim fide panem manducamus. At quia ista Oralis manducatio non sufficit: ideò ad verum & salutarem vsum, Dominus & aliam manducationem adijcit: Hoc facite in mei commemorationem. Facere iubet, hoc est, accipere & edere, sed ad sui commemorationem. Quæ nisi ita accipiamus, vt ab ipso Domino præscripta nobis sunt: qualem, quæso, horum verborum interpretationem comminiscemur? Accipite panem, id est, credite panem, Biberunt ex eo omnes, id est, crediderunt ex eo poculo omnes, Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, id est, Quotiescunque credideritis

ritis panem hunc, & de poculo hoc credideritis. Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, id est, Quisquis crediderit panem hunc, aut crediderit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit, id est, Et sic de pane illo credat, & de poculo illo credat. Nam qui credit, & credit indignè, iudicium sibi ipsi credit & credit. Nisi ergo ipsis quoq; Dominicis verbis vim facere volumus, necesse est fateamur, edendo panem, corporis Dominici nos participes fieri: quapropter & Paulus panem κοινωνίαν vocat: cum, si spiritu, aut fide tantum participes eius fieremus, spiritum aut fidem κοινωνίαν appellare debuisset Dominici corporis. Etsi autem ad Patrum testimonia aduersarij sæpissimè solent prouocare: tamen vel hac vna in quæstione videre licet, quomodo illorum testimonijs abutantur. Irenæus & Tertullianus apertissimè dicunt, ipsam nostram carnem, ipsumque corpus, carne Christi pasci: & inde animam quoq; de Deo saginari. At hoc nostri inuertunt: animam pasci aiunt corpore Christi, vt corpus etiam spem inde immortalitatis concipiat. Neque meliore fide Chrysostomi testimoniũ Sturmius tractat. Cùm enim pag. 104, fateatur, Chrysostomum scribere, corpus Christi manibus attrectari, dentibus teri, in terram cadere: alium ex eo-
« dem loco adducit. Quid est carnaliter intelligere, simpliciter,
« vt res dicuntur, nec aliud quicquam intelligere? Non enim
« ita iudicanda sunt, quæ videntur, sed mysteria omnia interio-
« ribus oculis consideranda sunt, hoc est, spiritualiter. Sed
« istud sibi dictum esse sciat Sturmius: qui de hoc mysterio plus credere non vult, quam ipsa dictet ratio: neque adduci potest, vt verba institutionis Cœnæ interioribus oculis, hoc

est, spiritualiter consideret, quod si faceret, nequaquam nostra sententiam cũ Capernaitarũ carnali intellectu cõpararet: cõtra quos Chrysostomus scripsit, carnaliter intelligere esse simpliciter, vt res dicũtur, neq; quicq; aliud intelligere. At nos ita simpliciter, vt res dicuntur, intelligimus, vt tamẽ interiores & spirituales oculos mẽtis, hoc est, fidẽ adhibeamus, vereq; credamus id, quod verbũ veritatis nos docet: neq; Sturmij & similiũ sannas moramur, qui corpus Christi etiam cũ fascijs, vt in cunis iacuit, manducari, nos clamare & vociferari calumniantur: reddituri de his & alijs cõtumelijs, Deo iusto vindici rationes grauissimas. At vero Sturmius, vt oralem hanc mãducationẽ tollat, quid affert? Vocẽ, vt ipse inquit, Ecclesię, fortasse .n. Christi hanc vocẽ esse nescit: Caro nõ prodest quicq; spiritus est, qui viuificat, verba mea spiritus & vita sunt. At quoties iam istis hominibus, blasphemiã esse ostẽsum est, si de carne Christi dicatur, nihil ipsam prodesse: cùm filius hominis vitã habeat in semetipso, etiam quia filius hominis est, & caro eius ζωοποιὸς sit & viuifica. Neq; proficiunt aliquid hac excusatione, quod dicũt, isto carnali & crasso modo comesam nihil prodesse. Modus .n. iste, quem nos credimus atq; defendimus, etsi Cyrilli quoq; testimonio carnalis est, hoc est, carnis Christi, nõ gratiæ tantũ aut meriti cõmunicatio: carnalis tamẽ nõ est, hoc est, crassus & Capernaiticus, sed spiritualis: si id spirituale vocemus, quod nõ est secundũ naturæ ordinẽ, sed secundũ omnipotentis Dei institutionẽ. At Sacramentarij spiritualitatem istam, vt sic loquar, de fide simpliciter accipiunt: & ei modo manducationis corporis Dñi opponunt, qui apertum habet verborum institutionis testimoniũ, hoc est, vt suprà explicauimus, quo modo, accipientes & mãducantes panẽ, Christi corpore vescuntur, etsi illam alteram spiritualẽ fidei manducationẽ, quæ in verbis Institutionis, Commemoratio

ratio Christi appellatur, nō addant. Non igitur margaritas abijcimus, purpurā non sentientes, neq; concham dentibus frēdimus, aut limacem voramus: etsi in hac panis Eucharistici concha, margaritā corporis Christi inesse scimus, & in hoc limace calicis benedicti, purpuram sanguinis Christi, quo sumus redempti. Ipsi potiūs, quibus Sturmius patrocinatur, cōchā dentibus frendere, & limacem vorare existimandi sunt, qui hoc solū vrgent, quod ipsi sensus facile nobis renunciant, Panem esse Panem, Vinum esse Vinum. Margaritam autem & purpurā sacræ huius Cœnæ tanto à nobis interuallo seiungunt, quanto cœlum extimum ab infima terra distat.

Sed iam de indignorum etiam manducatione videamus: quæ nō minus istis hominibus ægrè facit, quàm ista proxima oralis. Sentiunt nimirū his duabus quæstionibus se constringi: neq; elabi posse, cùm ad eas respondendū est, quin aut apertè fateantur, quod sentiunt, aut inuiti securim nobis porrigant, qua neruos Sophismatū illorū incidamus. Nam corpus Christi in sacra Cœna manducari facilè cōcedunt: quia hoc, vt volūt, interpretari possunt, hoc est, de fidei manducatione: at mādūcando panem benedictionis, corpore Dominico nos vesci minimè dant: cùm tāto à pane interuallo corpus ipsum Dominicū seiungant. Ita rursus corpus Christi in sacra Cœna manducari concedunt: sed à solis fidelibus, solaq; fide: quam & causam statuunt, nescio cuius, pręsentiæ, qua fides à symbolis Cœnæ sublata, alibi Christi corpus quærat, idq; sibi præsens faciat, cùm sit à symbolis absens, qua & vnio Sacramentalis inter signa & res signatas, ab ipsis manifestè tollitur. Nos contrà non fidē sumentiū causam præsentiæ aut κοινωνίας corporis Dominici esse statuimus: sed ipsam instituentis authoritatem, neq; hoc vel sine Scripturarū rationibus, vel sine Patrū testimonijs affirmamus. Nam vt de Scriptura, vt æquū est, priore agamus loco, an non Lucas, post descriptionem

Cœnæ

Cœnæ Dominicæ, statim hæc quoq; Dominum elocutum
» fuisse addit: Veruntamen ecce manus prodentis me, mecum
est in mensa. Ergo primæ illi Cœnæ Dominicæ proditor Iu-
das interfuit, quod initio controuersiæ Sacramentariæ, ad-
uersarij Lutheri pernegauerant, edito etiam ea de re futili sa-
ne & stulto, & maledico libello. Quid autem indigni mani-
ducent, quos inter Iudas quoq; referendus est, Paulus expo-
1. Cor. 11. suit: Quisquis ederit panem, aut biberit de poculo Domini
indigne: quem panem? eum videlicet, qui est κοινωνία: de quo
poculo? quod κοινωνία est: ille ergo reus erit corporis & san-
guinis Domini. Nam qui edit & bibit indigne, iudicium si-
bijpsi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini. Et rursus,
qui indigni sint, ex collatione duorum locorum Paulinorum
facile apparet. Probet, inquit, homo seipsum. Sed quomodo
2. Cor. 13. probabit homo seipsum? Vos ipsos, inquit, 2. Corinth. 13. tem-
tate, num sitis in fide, vos ipsos probate, An non cognoscitis
vosmetipsos, quod Iesus Christus in vobis est? nisi sicubi
reprobi estis. Ergo ij probati sunt, qui sunt in fide, in quibus
Iesus Christus est. At in fide sunt, & in ijs Iesus Christus est,
non modo, qui firma fide præditi sunt, sed etiam, qui cum Pa-
tre Lunatici orare necesse habent: Credo Domine, succurre
incredulitati meæ, & cum Apostolis quotidie dicunt: Do-
mine, Adauge nobis fidem. Ea enim Christi Seruatoris cle-
mentia est, vt arundinem comminutam non confringat, neq;
linum fumigans extinguat, donec eijciat ad victoriam iudi-
ciũ. Vnde efficitur, ne eos quidem, qui propter infirmitatem
arundo sunt comminuta, & linum fumigans, indignorum
appellatione censendos esse, & ἀδόκιμων siue reproborũ: hos
enim, quia laborant & onerati sunt, venire ad se ipse Domi-
nus iubet: sed ij indigni sunt, qui in fide non sunt, in quibus
Iesus Christus non est: qualis Iudas erat, quales erant & ij, de
quibus

de quibus ait Apostolus: Rei erunt corporis & sanguinis Domini, iudicium sibijpsis edunt & bibunt, non dijudicantes corpus Domini. Neq; aliter sancti Patres, vel de indignis, vel de Iuda proditore senserunt, Augustinus præsertim, cuius vnam sententiam deprauat Sturmius, cùm sint plurimæ, quæ pro nobis apertissimè faciunt, Tom. 7. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 47. Non dicunt ista, nisi qui de mensa Domini vitam sumunt, sicut Petrus: non iudicium, sicut Iudas, ET TAMEN IPSA MENSA DOMINI VTRIQVE VNA FVIT: sed non vtriq; valuit ad vnum, quia ipsi non erant ad vnum, & tom. eod. lib. 9. contra Fulgentium Donatistam: Sicut qui manducat & bibit sanguinem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indignè Baptisma, ad iudicium accipit, non ad salutem. NAM ET IVDAS PRODITOR BONVM CORPVS, & Simon Magus bonum Baptisma Christi percepit, sed quia bono benè non sunt vsi, mali malè vtendo deleti sunt. Bonum est Baptisma, Bonum est Christi corpus & sanguis, Bona est lex, sed si quis legitimè ea vtatur. Idem de Baptismo contra Donatistas, lib. 5. cap. 8. Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisquis sumens Dominicum Sacramentum, nõ efficit, vt, quia ipse malus est, malum sit, aut quia nõ ad salutem accepit, nihil acceperit. CORPVS ENIM DOMINI ET SANGVIS DOMINI NIHILOMINVS ERAT ETIAM ILLIS, QVIBVS DICEBAT APOSTOLVS: QVI MANDVCAT INDIGNE, iudicium sibi manducat & bibit. Et tom. 10. Serm. 11. de verbis Domini secũdum Matthæum & Iohannem: Multi, qui vel corde ficto, carnem illam manducant & sanguinem bibunt, vel cum manducauerunt & biberunt, apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut

„ sto, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus mã-
„ ducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quomo-
„ do qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Chri-
„ stus in eo. Non ergo quocunque modo quisque manducã-
„ uerit carnem Christi, manet in Christo, & in illo Christus
„ sed certo quodam modo, quem modum ipse vtique videbat,
„ quando ista dicebat. Ista ex Augustino copiosius attuli, quanquam sunt & alij quàm plurimi apud eundem, contra Cresconium Grammaticum, lib. 1. cap. 25. contra Donatistas, post collationem cap. 10. de Baptismo contra Donatistas li. 3. cap. 14. lib. 2. contra Epist. Petiliani, cap. 37. epist. 163. enarratione Ps. 10. tractatu 6. & 50. in Ioh. Sed isthæc attuli, vt intelligeretur, quid sibi Augustinus vellet, cùm aliàs ait, Iudam comedisse Panem Domini, non Panem Dominum. Nam panem Dominum comedere, Augustinus vocat sic comedere, vt maneamus in Christo, & Christus in nobis, quod de vsu salutari accipiendum est. Panem autem Domini comedere, est eum panem comedere, qui κοινωνία est corporis Christi, qui etsi malis vtilis non est, non tamen per se est inutilis. Solet autem Augustinus, aliàs quoq; vocibus his, Sacramentum, & Res Sacramenti, nõ eodem modo vti, quo dicta ipsius ab aduersarijs citantur. Cùm enim Augustinus Sacramentum vocet id, quod duabus rebus constat, visibili panis & vini elemento, & inuisibili corpore ac sanguine Domini: Rem autem Sacramenti, gratiam & virtutem, quæ bene vtentibus Sacramento confertur: aduersarij ex Sacramento Augustiniano signa tantùm faciunt & symbola: & deinde rem Sacramenti de corpore & sanguine Domini interpretantur: vt sic ex Augustino probare possint, Indignos, corpus & sanguinem Domini, hoc est, vt ipsi interpretantur, rem Sacramenti non percipere. At istud non citare est ve-

Pag. 111.

teris

teris & orthodoxæ Ecclesiæ, & piæ antiquitatis testimonia, sed peruertere, & deprauare. De quo, quia satis iam dictum videtur: age & aliorum Patrum sententias subijciamus, vt orthodoxus ipsorum consensus in conspectu sit. Ita ergo Theodoretus, 1. Corinth. 11. explicans. Non solum vndecim Apostolis, SED ETIAM IVDÆ PRODITORI, PRECIOSVM CORPVS ET SANGVINEM IMPERTIIT. Cyprianus Serm. de lapsis. A Diaboli aris reuertentes ad sanctum Domini, sordidis & infectis nidore manibus accedunt: mortiferos Idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt: & paulo post: Spretis his omnibus, atque contemptis, vis infertur corpori eius & sanguini eius. Plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominũ negauerunt. Chrysostomus autem idem hoc explicans, non modo a prioribus non dissentit, sed rem ipsam etiam allata similitudine illustrat. Sicut cibus, inquit, corporalis cum ventrem inuenit a diuersis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, nullũ præstat auxilium: ita est cibus spiritualis, si aliquem reperiet malignitate pollutum, magis eum perdit, non suo, sed accipientis vitio, & homil. 61. ad populum Antiochenum: Sicut cibus cum sit nutritius, si a crudo sumatur, omnia corrumpit, & fit morbi causa: ita & tractanda sunt ista mysteria: quam similitudinem ab Origene mutuatum fuisse Chrysostomum, verisimile est. Ita enim ille in Psalm. 37. Patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cum sanos cibos sumunt, sibimetipsis inferentes exitium. Basilius cap. vlt. de Baptismo: Si qui fratrem per cibum contristat, a charitate excidit, quid de eo iudicandum est, qui otiose & inutiliter edere audet corpus, & bibere sanguinem Domini.

Ad hæc testimonia cùm respondere non poterit Sturmius, dicet me ex nostrorum hominum pridem editis Commentariis descripsisse. Quod vt concedam sanè ipsi: nondum refutata tamen sunt ista tam illustria testimonia: & propterea repeti sæpè debent, ac possunt. Hoc enim quæritur, an noua hæc sint rerum & verborum monstra: an verò perpetuus Ecclesiæ orthodoxæ consensus.

Sequitur iam Vbiquitas, Diana illa mammata, nympha πανσαχουσία, noua in Ecclesia meretricula, vt Sturmio quidem illam appellare libuit. Ei verò tantam inuidiam facere conatur, quantam nulli alteri dogmati, quod vel inter nos controuertitur, vel ipso libro Concordiæ continetur. Articulos fidei ab hac Vbiquitate negari affirmat: ignotam esse vetustati criminatur: veteres ab ea hæreses reuocari contendit: & veteris Idololatriæ versutum tegumentũ eam cognominat. Magna sunt hæc crimina, imò magnæ blasphemiæ: neq; temerè cuiquam, vel homini vel dogmati, impingendæ: quò magis mirum est, Sturmium hoc contra nos audere, quorum tum Libros atq; sententiam non vult cognoscere. Quam enim nos docemus & defendimus, Vbiquitas: ea verò tantùm abest, vt horum criminum rea sit: vt ab ipso etiam Sturmio pro pia & orthodoxa agnoscatur: cùm enim in fine Antiosiandri similitudinem Basilij de ferro ignito, qua post Basilium plærique Patres Græci vsi fuerunt, eripere nobis & deprauare cogitaret, tanta tamen veritatis vis fuit, vt inuitum etiam eum fateri cogeret, quod huc vsq; tàm hostiliter oppugnauit. *Sic etiam*, inquit, *libenter concedo, quòd secundum vtramq; naturam coniunctam, & coniunctè considerata omnia quæ velit, efficere possit, omnia viderit, atq; nouerit, omnibusq; locis præsens sit suis: denique omnia gubernet præsens in cœlo & in terra.*

Pag. 218.

Istam

Istam ipsam Vbiquitatem, Scholarchæ, liber Concordiæ docet, & nos defendimus: sed hæc Vbiquitas neque fidei articulos negat, neque antiquitati ignota est, neque hæreses reuocat, neque Idololatriam exornat, id quod sigillatim iam demonstrabo. Ergo de Articulis fidei ita Sturmius pag. 131. *An non videtis, cuiusmodi grando hîc obnubiletur? cuius singuli calculi perniciem parant, quid calculos dico? an non conspicuos lapides & saxa cernitis? Si lapides & saxa appellanda sunt occulta venena, in ista formula Concordiæ, annis iam decem radicata, idq; inter pomœria vrbis nostræ: Qualia enim ista monstra sunt veneficiorum? 1. Christus non per claustra virginalia genitus, sed vt per lapidem sepulchralem, ita etiam miraculosè, vt loquuntur, ex vtero Mariæ in lucem penetrauit. 2. Christus non pedem longum, non crinem latum, ad cœlos ascendit. 3. Christi corpus vbique est, & cum Hierosolymæ pateretur, & cruci suspensus pependit, & in sepulchro positus est etiam Romæ & Athenis, in cœlo, in omnibus locis mortuus & viuus fuit. 4. Christi corpus etiam secundum humanitatem, in omnibus lignis, lapidibus, arborum folijs, in omnibus herbis, in omnibus cantharis cereuisiarijs est. 5. Cœlum cœli somnium est, infernus phantasma, cœlum & Dei & Diaboli habitaculum est. 6. Ascensus, qui creditur in Ecclesia Catholica post mortem, ascensus verus non fuit: duo veri fuerunt: vnus post salutationem angelicam: alter posteaquam expirauit. Cur non decimum addunt? Omnis fides nostra ludibrium est.* Et pag. 183. *Dicent viri literati, reuera vos negare filium Dei venisse in carne, hac Vbiquitaria doctrina, reuera negare carnem Christi passam esse pro nobis in cruce, reuera negare, quòd euecta sit in cœlum. Non potuisse humanitatem Christi nasci aut pati, si vbique sit, aut si vbique eius sit essentia. Interrogabunt, quomodo τὸ ἐκτὸς vestrum quod semper in ore habetis, defendatis: si Corpus Christi natura vbiquitarium est: quomodo pati pro suis discipulis potuit? Quærent,*

quomodo eruditis Academijs & Scholis probare possitis, Corpus istud esse sine quantitate? Cùm quantitas substantialis sit Corporis differentia? Corporeum enim quod est, ab eo, quod incorporeum est, hac potissimùm re, quòd sit quantum, discriminatum esse, demonstrabunt. At ista omnia Scholarchæ, neque in formula Concordiæ, neque in nostrorum libris reperiuntur. Sturmij hæc figmenta sunt, ex quibus nemo plurima & absurda, & blasphema consequi negauerit: nostra autem illa esse, nemo probauerit. *Sed initiò Christus*, ait Sturmius, nos affirmare, *non per claustra virginalia genitus, sed vt per lapidem sepulchralem, ita etiam miraculosè ex vtero Mariæ in lucem penetrauit.* Ergo istud primùm concedit, quod Harmarus ille Anglus negabat, Christum miraculosè per lapidem sepulchralem penetrasse. Deinde quis negauit, Christum per claustra virginalia genitum? an non nota est vox Ecclesiæ: Fœlix ô puerpera, cuius casta viscera DEVM genuerunt: an non contra Antidicomarianitas & Heluidianos omnes defendimus, Mariam illibata virginitate genuisse. Sed hoc est Scholarchæ, quod Sturmio dolet: quòd ipsa ex virgine natiuitas, vt Augustinus epl. 3. ad Volusianum testatur, resurrectionis quoque potentiam ostendit. Ipsa enim, inquit, virtus per inuiolatæ matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra iuuenis introduxit. Ita quoque veritatem passionis nequaquam tollit nostra doctrina. Etsi enim vno in loco passum Christi corpus est, eo videlicet loco, quo λόγος, qui Corpus suum, in quo habitat, vbiq; præsens habet, pati ipsum voluit: non tamen sequitur, propterea Romæ & Athenis λόγῳ vnitam carnem non fuisse, quia ibi non patiebatur. Si enim Romæ & Athenis λόγῳ vnita caro non fuit, tùm, cùm Hierosolymæ Christus patiebatur: soluta iam ipsa est vnio, & sublata

quoque

quoque meriti Seruatoris nostri ἐνέργεια. Nemo enim homo quantauis sanctitate præditus, opus redemptionis nostræ absoluere poterat. Atque hoc ipsum de Ascensione respondeo. Quomodo enim probabit Sturmius, id quod toties inculcat, nos verum ascensum negare, duos alios confingere? Vere enim Christum credimus ad cœlum ascendisse: neque illum ascensum spectrum, aut disparitionem fuisse concedimus: sed hoc ipso ascensu Christum testari voluisse contendimus, quòd deinceps externum illud cum Apostolis consortium, quo erat vsus per dies quadraginta, cessaturum esset, ne quemadmodum illis quadraginta diebus sæpe ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, ita ipsi hunc quoque Ascensum pro tali aliquo recessu haberent, post quem non longo interuallo ab ipsis denuo esset conspiciendus. Itaque summa afficimur iniuria, cùm accusamur, quòd in ista historia Ascensionis negemus, quæ ab Euangelistis scripta sunt, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, Marc. 16. διέστη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανὸν, Luc. 24. βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν, ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Actor. 1. Sed addimus id quoque, quod & apud Marcum, & in Symbolo additur, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ: vnde docemus, Ascensionem non tantùm fuisse externum quoddam spectaculum, quo Christus abiens ex hoc mundo valedicere voluerit discipulis suis: sed etiam hunc præcipuum esse Ascensionis finem, vt captiuam duceret captiuitatem, vt de hostibus nostris triumpharet, vt deposita serui forma, formam Regis cœlorum reciperet, vt ea gloria glorificaretur, quam habuit, priusquam hic mundus fieret. Addimus autem, Christum illam gloriam non ita in ascensione accepisse, quasi prius eam nullo modo habuerit, sed recepisse potius, qua in statu exinanitionis, & forma serui constitutus libenter

Pag. 15. 25. 28. 38. 87. 93. 114.

libenter caruit, etsi multis miraculis ostendit, se eam, quoties vellet, vsurpare posse: Ita enim de primo in Cana miraculo Iohannes: Hoc edidit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam. Ita & Ioh. 17. Christus iam iam accessurus ad passionem, petit se glorificari illa gloria, quam habuit apud Patrem ab æterno. Secundum humanam naturam hoc petebat, Cyrillo etiam interprete. Diuina enim in Christo natura nunquam euacuata aut exinanita fuit, quemadmodum ne obnoxia quidem est istiusmodi πάθεσι, vt sic necesse haberet orare. Quin & Ioh. 1. gloria ista, cum ipsa incarnatione statim coniungitur, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Istam gloriam, quæ in ipsa conceptione data est filio hominis, si quis figurate ascensum Christi in cœlum, hoc est, exaltationem humanæ naturæ appellauit: aut si quis resurrectionem, à qua glorificationis post exinanitionem nouum quasi exordium est, hoc sensu ascensum nominauit, modò ascensum illum, vt sic dicam, historicum non negauit: est ne istud tantum flagitium, quod tot conuitia, tot querelas, tot gemitus & suspiria flagitet? Concedant nobis aduersarij, in ipsa vnione humanam naturam exaltatam esse: neque multum intererit, quo nomine exaltatio illa nominetur. Quòd autem summa imis permiscere nos dicit, & Dæmonum habitacula, cum piorum mansionibus confundere: nihilo verius loquitur, aut sentit, quàm cùm superiora ista iam refutata locutus est & sensit. Cur autem hac de re sententiam nostram absurdam esse putet, hæc ei causa est, quòd Anthropomorphitarum stultam de Deo & cœlo opinionem non potest deponere. Cùm ergo Christus Ioh. 14. ait: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, fingit sibi iste

ampla

ampla in cœlo conclauia, parietibus integerinis distincta, ambulacris ornata, fortasse etiam sedibus & lectis concinnata: in quibus humana Christi natura, à gubernatione & mundi & Ecclesiæ semota, alta quiete perfruatur. At nos vt cœlum ipsum beatitudine æterna metimur, ita & mansiones in cœlo nullas aliàs nouimus, quàm de quibus Apostolus ait: Erit DEVS omnia in omnibus, &, Inhabitabo in illis, &c. *Sed hoc modo,* DEI *& Diaboli, beatorum & damnatorum permiscentur habitacula.* Nempe Psalm. 139. non permiscentur, Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam, si ascendero in cœlum, tu illic es, SI DESCENDERO IN INFERNVM, ADES, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, & dixi, forsitan tenebræ contegent me, &c. Quibus & illa apud Amosum consonant cap. 9. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos, & si ascenderint vsque in cœlum, inde detraham eos. Adest ergo, secundum Psalm. 139. Deus in inferno, & tamen DEI & Diaboli habitacula non permiscentur: quia non tam locis æterna fœlicitas & damnatio discernuntur, quàm ipsa seipsis. Sed Sturmium ista comminisci nihil mirum est, qui de cœlo & beatorum sedibus, ipsoq; adeò throno Maiestatis Christi, puerile planè, imò Iudaicas & Mahometicas cogitationes habeat. Dicit enim pag. 186. *nos Christo suum perpetuum & finitum thronum, in quo sedentem ipsum Angeli celebrant incredibilibus gaudijs, adimere,* & pag. 93. *Qui nullum certum cœlum agnoscunt, qui Christo non permittunt certam sedem, certum thronum maiestatis suæ: quibus quia dexteram* DEI, *h. e. potentiam* DEI, *infinitam esse conceditur, volunt etiam sedem infinitam esse, & ad omnia loca pertinere.* Quid hoc verò rei est? Christus in throno finito sedet, si Sturmio

credimus: sedet autem ad dexteram Dei Patris omnipotentis, si Scripturæ & Symbolo credimus: Ergo dextera Dei, vt perpetua sit, finita tamen certè est, iuxta Sturmij sententiam. Et nos non accusemus istos homines, quòd omnipotentiam Dei negent, qui thronum Christi, hoc est, dexteram Dei patris omnipotentis finitam faciunt: qui ex natura Regulis de quantitate, omnipotentiam dexteræ Dei patris oppugnant. Nempe corpus omne quantum est: Quantum autem omne superficiebus clauditur: quod autem superficie præditum est, loco continetur, Corpus igitur Christi, licet filio Dei vnitum, loco continetur: & extra vnius loci angustias, filio Dei vnitum non est. Cùm enim extra illum locum ne sit quidem, vt isti volunt, quomodo dicetur vnitum esse? Hæc tota ipsorum est sapientia. At principio non satis cõsiderate ex quantitate argumentantur ad localitatem. Corpora omnia quanta esse, hoc est, finita esse, & partem habere extra partem, neq; diffundi in infinitum, nemo vnquam sanus negauit. Sed quis iste tandem est, qui diuinæ potentiæ leges propterea præscribat, vt præter naturam in ipsis creaturis nõ possit efficere, quod velit? Ferrum natura graue est, neq; ei vnquam proprium fit, vt natet: natauit tamen, orante ad Dominum Elisæo. Corpora nostra grauia sunt, neq; vnquam proprium eis fit, vt sint leuia, aut vt cedente pondere leuiore non demergantur. At Petri corpus, iubente Domino, in aquis ambulauit: & verum & quantum corpus erat: non tamen locum, ad quem natura ferri solet, tùm occupauit. In ipsa resurrectione fatetur Sturmius, corpus Christi per lapidem sepulchralem penetrasse. An non tùm verum corpus erat, an non quantum? & tamen locum inuenit, vbi natura locum nullum concedit. Fateamur igitur ita veritatem corporis Christi, vt omnipotentiam non negemus:

Omni-

Omnipotentiam ita fateamur, vt veritatem corporis non negemus. Ita autem nos totum Christum secundum vtramq; naturam præsentem facimus, vt interim libentissimè fateamur, humanæ naturæ id nunquam esse, aut futurum esse, aut fuisse proprium, vt ipsa pro se vbiq; esse possit. Diligenter sanè & Philosophi inter μέθεξιν distinguunt & κοινωνίαν, vt si dicamus, aquam ignis proprietate, quæ est calidum esse, μετέχειν, hoc est, iam non ignis, sed aquæ proprium esse, Calidum esse, male certè dixerimus: at aquæ feruefactæ vim calefaciendi communicatam esse, nemo negauerit. Neque verò nos hanc Vbiquitatem cum magna verborum petulantia asserimus: sed ipse eam petulantissimè, nec sine blasphemiæ suspicione, imò non sine blasphemia insectatur. Quid enim illa sibi volunt, quæ de Cantharo cereuisiario, & singulis eius guttis, de foliis & foliorum radicibus atque fibris, tam impotenter euomit? quasi talis aliqua à nobis Vbiquitas statuatur, quæ ipsis rebus sese infundat, & per cuncta diffundat. Tantò autem magis vitanda est isthæc Lucianicarum irrisionum sartago, quòd eadem ista, diuinæ quoq; omnipræsentiæ possunt obijci: vnde verendum est aliquando, ne et ipsam aliquando ijsdem his argumentis, vel cauillis potius, irrideant, qui nunc sub istius Vbiquitatis prætextu, veram de Christi maiestate & gloria doctrinam exagitant. Pag. 25. 86. 105. 114.

Deinde Vbiquitatem hanc vetustati piæ & orthodoxæ ignotam esse dicit: & nulla habere vel in Patribus, vel in Scholasticis, vel in Iesuitis, vel in Monachis vestigia, pag. 28. 99. 102. 106. 109. 112. 173. 115. 124. 126. 178. 186. 200. Sed quia de Patrum sententia Sturmius in epistolis Eucharisticis copiosius disseret, pag. 116. sanè nunc ad ea testimonia, quæ libro Concordiæ adiuncta sunt, ipsum remitto: vt ea, si possit, refutet, aut meliores, aut meliorum Patrum autho-

ritates afferat. Vnam Ambrosij tamen sententiam, quæ ita aperte de Vbiquitate agit, vt nihil dici possit apertius, sic scio, nunquam refutabit: neque ita suis ἀλογίαις obscurabit, vt mediocriter etiam in his quæstionibus exercitati, ita cum non animaduertant. Ita ergo Ambrosius in 10. cap. Lucæ, ad illa, (Et ego cum reuersus fuero) Spondet ergo se rediturum. Quando reuerteris Domine, nisi in die iudicij? NAM LICET VBIQVE SIS SEMPER, ET STANS IN MEDIO NOSTRVM, NON CERNARIS A NOBIS, erit tamen tempus, quo vniuersa caro te aspiciet reuertentem. De tota Christi persona Ambrosium loqui, hoc est, de vtraque eius natura, & de humana maximè, satis manifestum est. Quis enim in die iudicij reuertetur? Num DEI filius? Non, sed vt Matthæus habet, cap. 25. Cum autem venerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. Ille ergo hominis filius, qui in die iudicij reuertetur, teste Ambrosio, VBIQVE SEMPER EST, ET STANS IN MEDIO NOSTRI NON CERNITVR A NOBIS. De hoc igitur & similibus testimonijs, si in epistolis suis Eucharisticis Sturmius aget: næ, quod agat, repererit: sed inuicta manebit veritas. Eadem aũt opera hoc loco & ad ea respondebo, quæ de visibilitate, & inuisibilitate garrit. Negant isti homines, corpus Christi esse, nisi vbi videtur: & nõ cogitant corpora glorificata, quale nunc Christi corpus est, nõ cerni nostris oculis, nisi per reuelationẽ: quod ne sine scripturarũ authoritate videat asserere, Matthæum 27. cap. audiamus de ijs, quæ mortem Dei cõsecuta sunt: Monumenta, inquit, aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt: & egressi è monumentis post resurrectionẽ eius, venerunt in sanctam

Ciuitatem,

Ciuitatem, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς, hoc est, manifestata sunt multis: non autem, vt Erasmus post vulgatum transtulit, apparuerunt multis. Cur enim dicit ἐνεφανίσθησαν: nempe quia non ab omnibus conspiciebantur illa corpora, vtpote glorificata: sed ab ijs solummodò, quibus manifestabantur. Quemadmodum & de apparitionibus Christi Lucas habet, cap. 24. Semel quidem de discipulis euntibus Emauntem, Cæterùm oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, & rursus: Eorum verò aperti sunt oculi, & agnouerunt eum, & ipse subduxit sese à conspectu eorum, καὶ ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. Cui nunc credemus? Sacramentarijs'ne, qui negant verum corpus esse, quod ex interuallo mediocri non videatur: an Euangelistis & Ambrosio, qui Christo certè verum corpus non adimunt, sed illud tamen ἄφαντον potuisse fieri, & stantem in medio nostri non cerni à nobis, asseuerant.

At verò cum pia & orthodoxa Antiquitate, Sturmius Monachos etiam & Iesuitas & Scholasticos coniungit: neq; vt videri vult, sine ratione: *quia videlicet Augustana Confessio, quantum attinet ad personam Christi, nos ad Ecclesiam Romanam mittit*, pag. 96. & nos accusat, quòd hanc partem publicæ pacis violemus, quia videlicet Iesuitæ etiam nostram sententiam improbant: & in fine Antiprocœmij ad hanc criminationem multa aduocat: *Quæso vos*, inquit, pag. 132. *& interrogo quare Conuentus Vuormatiæ habitus fuit, &c.* quæ omnia eò pertinent, vt ostendat, huius controuersiæ nostræ explicationem à Pontificijs petendam esse: Et certè magnum esse videtur hoc argumentum: Quapropter & insultat nobis: *Vbi in Confessione Augustana Principum, corpus Christi vbiq; sit, vbi in Confessione Augustana etiam secundum carnem sit omniscius & omnipotens?* Mirum verò vbi? an non in tertio articulo? Item docent, quòd Verbum, hoc est filius Dei, assumpserit humanam

„ humanam naturã in vtero beatæ Mariæ virginis, vt sint duæ
„ naturæ, diuina & humana, in vnitate personæ, inseparabiliter
„ cõiunctæ. In vnitate personæ, inquit Augustana Confessio,
inseparabiliter cõiunctæ: & Sturmius quærit, vbi in Confes-
sione Augustana corpus Christi vbiq; sit. Certè Augustinus
docet, eos, qui interuallo loci, humanam Christi naturam
diuina separant, sic separãdo duas personas inducere, tom. 7.
de peccatorum meritis & remissione, lib. 1. cap. 31. Per distan-
„ tiam diuinitatis & infirmitatis, filius Dei manebat in cœlo, fi-
„ lius hominis ambulabat in terra: per vnionem verò personę,
„ qua vtraq; substantia vnus Christus est, & filius Dei ambu-
„ labat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cœlo, &
Tom. 10. de verbis Apostoli idem Augustinus, Serm. 14.
„ Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius
„ hominis, qui est in cœlo. In terra erat, & in cœlo se esse dice-
„ bat: & quod maius est, est in cœlo filius hominis: vt vnam
„ demonstraret in vtraque natura personam, & in eo, quòd
„ Dei filius erat, æqualis Patri, Verbum Dei, in principio Deus
„ apud Deum, & in eo, quòd filius hominis erat, assumens ani-
„ mam humanam, & carnem humanam, & indutus hominem
„ exiens ad homines: quia in hoc vtroq; non duo Christi sunt,
„ nec duo filij Dei, sed vna persona, vnus Christus Dei filius,
„ idemq; vnus Christus, non alius filius hominis, sed Dei filius
„ secundum diuinitatem, hominis filius secundum carnem.
„ Quis autem nostrum, qui parùm aduertimus, aut parùm sa-
„ pimus, non potius ita vellet distinguere, filius Dei in cœlo,
„ & filius hominis in terra? sed ne sic diuideremus, &
„ sic diuidendo duas personas induceremus, Nemo ascen-
„ dit in cœlum, inquit, nisi qui de cœlo descendit filius ho-
„ minis. Filius ergo hominis descendit de cœlo? nonne
„ filius hominis in terra factus est? Sed ô homo, noli, inquit, se-

parare

parare, quem volo copulare, parum est, quia filius hominis descendit, Christus enim descendit, idemq; filius hominis, qui filius Dei est, sedet in cœlo, qui ambulat in terra, in cœlo erat, QVIA VBIQVE CHRISTVS, IDEMQVE CHRISTVS, ET FILIVS DEI, ET FILIVS HOMINIS. Propter vnitatem personæ, in terra filius Dei: propter eandem Vnitatem personæ esse probauimus in cœlo filium hominis, ex his verbis Dei, Filius hominis, inquit, qui est in cœlis. Hactenus Augustinus. Ergò qui in persona Christi, vtramq; naturam inseparabiliter fatentur vnitam: ij Vbiquitatem etiam, vel ipso Augustino eos docente, statuant necesse est. Et quidem Christus, vt idem habet tertius Articulus Augustanæ Confessionis, ascendit ad cœlos, vt sedeat ad dexteram Patris, & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur, & viuificet eos, ac defendat aduersus Diabolum & vim peccati. Quo loco de duobus Sturmius mihi interrogandus est. Primò, cuius naturæ proprium sit perpetuò regnare & dominari omnibus creaturis, sanctificare credentes, immittere in corda credentiũ Spiritum sanctum: sine cõtrouersia, diuinæ hoc naturæ propriũ esse affirmabit. Deinde de qua natura dicatur, quòd ad cœlos ascenderit: Non negabit de humana: Diuina enim propriè loquendo, neq; ascẽdit, neq; descendit: Ergò Christus secundũ humanã naturam ascendit ad cœlum, vt sedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet. Nam quòd ascensus iste ad cœlum, nequaquam importet corporis Christi ab Ecclesia & Eucharistia absentiam: sequentia etiã Articuli verba docent. Idem Christus, PALAM est rediturus, vt iudicet viuos & mortuos. Qui PALAM redituru est, non ne priusq; palam redeat, nõ palam adest, hoc est, vt supra nos docebat Ambrosius, licet vbiq; sit semper, & in medio nostri stet, tamen non cernitur à nobis. Videt

ergo

ergo iam Sturmius, vbi in Augustana Confessione corpus Christi vbiq; sit, & omnipotens. Quis enim neget, eum qui secundum carnem etiam dominetur omnibus creaturis, & sanctificet credentes in ipsum, omnipotentem & omniscium esse? At rursus obijcitur, Lutherum hoc in Postilla maiorem imperitos eos appellasse, qui omnipotentem in Christo hominem faciunt, permiscentes duas naturas, & opera earum. Sed non considerant, qui ista nobis obijciunt, cuiusmodi opinionem eo loci Lutherus reijciat: eam videlicet, quæ à nobis ipsis etiam maximopere improbatur: quòd videlicet, Christus in ipso instanti conceptionis ita plenus fuerit sapientia & spiritu, adeò vt nihil prorsus in ipsum potuerit postea quouis modo vel intrudi: quasi anima eius in morem vtris se habuisset, quem ita replemus, vt nihil præterea queat in se recipere. Hanc nos sententiam nunquam probauimus, neque probandam putamus. Sed constanter cum Luthero asseueramus & defendimus id, quod eodem loco statim sequitur,
» Amplectenda esse verba Euangelistæ, ac quàm simplicissimè de Christi humanitate intelligenda, quæ Deitatis instrumentum, ac velut domus quędam fuit, plena semper Spiritu Dei: at eum non semper eam similiter mouisse, sed alia atque alia ratione, secundum diuersitatem negotiorum atq; occasionum, rem Patris agendi. Ita licet nunquam ei abfuerit Spiritus sanctus, sicut tamen corpus eius per incrementa temporis succrescebat, & rationis vsus quotidiè reddebatur auctior, pro modo naturæ, vt & in alijs hominibus euenit, ita & spiritum continuò penitius illi sese immisisse, mouisseq; pro ætatis ratione potentius & ad plura. Neq; enim figmentum esse, quod Lucas scribit: Corroborabatur q; spiritu, sed vt verba sonant, ita simplicissimè quoq; rem euenisse, vt quantum accessit ætatis, tantùm & magnitudinis, quantum verò magnitu-

gnitudinis, tantum & rationis: vtq; ratione auctiorem, ita & « spiritu euasisse robustiorem & sapientia pleniorem, coram « Deo, & in seipso, & coram hominibus: neq; vlla opus habere « hæc verba alia glossa. «

Quod autem de Romana Ecclesia affertur, id in ipsa Augustana Confessione sic habet ad verbum: Hæc fere est summa doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, QVATENVS EX SCRIPTORIBVS NOTA EST. Non solum Ecclesiam Romanam nominat Augustana Confessio: sed præmittit Scripturas & Ecclesiam Catholicam: & tanquam hoc non satis sit, de Romana addit, quatenus ex scriptoribus nota est. Neq; alligare potest, hæc clausula, Augustanæ Confessionis Ecclesias, vt quicquid in odium illarum, mutent postea Pontificij, id Romanæ Ecclesiæ proprium, & perpetuum dogma esse dicatur. Quid quòd ij ipsi, qui Theses Ingolstadianas recudi iusserunt, multa omiserunt, pro quibus tanquam pro aris & focis pugnant Pontificij: vt non verus hic consensus sit, sed talis omninò, qualem in historia Simsonis legimus, qui vulpeculas caudis colligatas in messem Philisthæorum immisit, cùm capitibus hinc inde distraherentur.

Sequitur tertia Vbiquitatis accusatio, *quòd veteres etiam hæreses illa reuocet, & Sphinx sit, atq; Chimæra, in qua omnia sint Marcionis, & Valentini, & Arrij, & Eutychis, Nestorij & Sabellij falsa & immania dogmata.* Valentinus ergo, vt Augustinus habet de hęresibus, ad quod vult Deum cap. II. Christum à patre missum, spirituale vel cœleste corpus secum attulisse, contendebat, nihilq; assumpsisse de virgine Maria, sed per illam, tanquam per rimam, aut per fistulam, sine vlla de illa assumpta carne transijsse. Post Valentinum Marcus etiam,

& post hunc rursus Marcion, Christum non esse filium Dei creatoris, imò nec hominem verè fuisse contendit, sed fictum & phantasticum corpus habuisse & gestasse, quod è cœlo, non ex virginis Mariæ substantia sumpserit: vndè nec mortem eum pro nobis esse passum, sed tantùm δωκήσει, & phantasmate quodam, siue illusione. Sabellius autem, de quo apud eundem Augustinum est, cap. 41. personas in Trinitate non tantùm confundebat, sed etiam omninò tollebat. Patrem enim & Filium, & Spiritum sanctum, vnam & eandem esse ὑπόστασιν volebat, quæ varijs nominibus, prout necessitas & vsus exigeret, appellaretur, quemadmodũ vnum & idem solis corpus, lux, splendor & calor, pro diuersis effectis nominatur. Isthæc autem delira & blasphema dogmata, à nostra sententia longissimè abesse, nulla probatione indiget. Sed & Arianã hæresin obijcere nobis Sturmius audet, at quo colore, seu potiùs, qua fronte? vter.n. cœtus, noster, an Sacramentariorũ, Arianos Ecclesiæ, plus satis aliàs afflictæ, suppeditauerit, notius est, quàm vt debeat demõstrari. Et certè quod in isto cœtu futurũ erat, id longè antè Lutherus, diuino planè impulsus spiritu, prædixit: hoc agere Sathanã, vt postq̃ obtinuerit, panẽ esse panem, nec esse corpus Christi: eadem postea opera obtineat, Christũ esse hominẽ, neq̃ esse filium Dei. Iam quod ad Nestorianismũ attinet, quis est, qui separet naturas, & diuellat, qui ita proprietatibus suis eas distinguat, vt iam non duas naturas retineat, sed apertè duas constituat personas? Non'ne Sacramentarij hoc faciunt, quibus vno tantùm certo & definito cœli loco, humana natura diuinę pręsens, atq̃ vnita, cæteris omnibus, absens, & propterea ne vnita quidem est? Quanquam igitur à contraria Eutychianorum hæresi longiùs fortasse absunt: tamen dum Charybdim vitant, in Scyllam incidunt. Nos ita commixtionẽ & exæquationem naturarũ

conuer-

contra Eutychen negamus: vt tamen Nestorio nõ concedamus, propter naturarũ diuersa ἰδιώματα, duas etiam constituimus personas. Quid enim aliud Christus, iuxta Sacramentariorũ doctrinam, quàm vno aliquo loco, humanæ naturæ, tanquã alteri cuidam personæ astat: cæteris omnibus locis, vbi humana ista natura nõ est, ei non astat, & propterea non vna λατρείᾳ colendus est? poterat igitur Sturmius, nisi inuidiosam vellet nostram facere doctrinam, istis hæresẽon veterum nomenclaturis supersedere: quarum cùm non paucæ nostro sæculo à fanaticis hominibus, in theatrum reductæ sint, non minùs diligenter, & solidè à nostris sunt refutatæ. Restat ἀρτολατρείας & εἰδωλολατρείας crimen, quam nos in Ecclesias reducere ait aliquoties, sed nullo argumento probat. Nam quòd Philippi Melanchthonis authoritatem affert, iuuare ipsum minimè potest, aliquos enim ἀρτολατρείαν Philippus reuocare ait: neq; verò, qui sint illi aliqui, explicat: quapropter & responderi ad hanc accusationem pluribus non debet: Quòd addit, pag. 93. *eos, qui* συνουσίωσιν *defendunt, illam libenter adorandam porrigere, & non libenter pati, Eucharistiam manibus sumentium accipi, & ore excipi panem Domini velle, vt oralem manducationem venerabiliorem faciant, ignaros, quæ veneratio debeatur Cœnæ Dominicæ:* Calumnia est, non vera accusatio. Non enim porrigimus Eucharistiam adorandam, neque vllam aliam venerationem in eius sumptione requirimus, quàm quæ veram animi pietatem testetur, quæq; ostendat, eum, qui Eucharistiæ particeps fit, animo minimè profano, aut irreligioso esse. Manibus autem Eucharistiam accipi patimur sanè: communiter tamen à nostris ore excipitur, quæ cæremonia Antiquitatis testimonio nequaquam destituitur. Propterea autem manibus non sumi conqueritur Sturmius: quia hoc ritu, vnà cum fractione panis, tanquam

Pag. 15. 93 107. 112. 174. 181.

necessario Sacramentarij vtuntur, nos verò in externis istis necessitatem nullã collocamus: sed ritibus vsitatis liberrimè vtimur. Atq; ist hæc hactenus de ijs, quæ ipsi doctrinæ Vbiquitatis obijciuntur. Nam vt hoc loco Anhaltinorum etiam vndecim paradoxa, phrases partim hæreticas, partim noua, quadraginta paralogismos refutem, id quod Sturmius pag. 81. & 102. postulat, propterea non videtur operæ precium, quòd ab ipsis authoribus Concordiæ refutata iam hæc sunt, & non minùs in bonorũ manibus refutatio istorum versetur, quàm illorum criminationes.

Sed non tantùm propter Vbiquitatem abstinendum à subscriptione libri Concordiæ putat Sturmius: verùm etiam, quia ex isto libro multa sint consecutura, & horrenda mala: quæ præstet repudiato hoc tam noxio libro effugere: de quibus etsi superiore quoq; Defensione diximus: tamen quia à Sturmio eadem repetuntur & inculcantur, nos sanè etiam eadem de ijsdem dicamus. Principiò igitur veteri Augustanæ Confessioni metuit, *ne illa noua, nescio qua, non Confessione, sed censura & condemnatione opprimatur*, pag. 23. *repudietur*, pa. 25. *exterminetur*, pag. 26. (*quod cùm verbo non faciamus, reuera tamen moliamur, & cùm nos facere negemus, tamen faciamus*, ead. pag. *vbi etiam omnes bonos viros, omnes prudentes homines, omnes literatos, omnes literarum Studiosos appellandos esse addit, vt ad commune incendium restinguendum, omnibus precibus præsentes, & votis absentes concurrant*) *contaminetur & condemnetur*, pag. 89. *aboleatur*, 91. *eius q; authoritas de Ecclesia tollatur*, pa. 115. Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? An non enim Sturmius est, qui Augustanam Confessionem accusat, quòd in ea transsubstantiatio concessa sit, quòd temporis tantùm causa scripta sit, quòd ad illam Principes noluerint alligari, & nunc metuit, ne exterminetur, & de Ecclesia

clesia tollatur. Ad populum phaleras: Boni enim & prudentes, cuiusmodi Sturmij ista solicitudo sit, facile animaduertunt. Non ignorat Sturmius, si liber obtineat Concordiæ, primam quoque Augustanam Confessionem valituram esse: si hæc valeat, Cinglianis & Caluinianis nullum amplius locum fore: ideoq; alias primam impiorum dogmatum accusat, & transsubstantiationis: alias cùm hoc non procedit, clamitat ipsam Augustanam Confessionem, quam cane peius & angue odit, opprimi. Sed bene est: nullus iam huic criminationi locus relictus est, postquam Dei Opt. Max. beneficio ipse liber Concordiæ prodijt: cuius editio luce meridiana clarius testatur, vanum esse hunc Sturmij metum, vel hanc potius calumniam. Deinde idem respondeo de Concordia anni 1536. quam simulator iste & dissimulator non minus conqueritur aboleri: qua de Concordia in prima istius defensionis parte egi copiosius: & ostendi minimè hanc eius mentem fuisse, quam ei affingit Sturmius, nempe vt oralis & indignorum manducatio per eam Concordiam sit sublata. Nunc illud addendum est, vel Lauatero teste, falsum esse, quod Sturmius ait, *hanc Concordiam exteras quoque, Angliam, Galliam, Heluetiam, Phrysiam, Vuestphaliam, Ecclesias, cum nostris Ecclesijs coniunxisse, pag. 30.* Cur enim illa Geneuensis Concordia inter Heluetios & Gallos facta est, nisi quòd hanc anni 1536. Concordiam Bucerus illis, neque probare, neque persuadere potuit: quod Tiguriní Bucero responderunt, *Concordiæ illius capita obscura esse, & ambigua: se ergo nolle subscribere & ea approbare, pag. 28. quòd Bernæ CCC. Parochis minus quatuor in generali Synodo congregatis, licet declarationem Buceri, Confessioni Heluticæ nihil aduersari iudicarent, non tamen placuit subscribere, pag. 29.* Nec minus & illud falsum est, *quòd hanc Concordiæ viam nos iam*

deseramus, quòd eam per nos non liceat recolere, pag. 17. Apertè enim articulo, libro Concordiæ, & quidem ad verbum inserta est: vt omnes intelligant, Concordiam illam semel à nobis probatam, constanter hucusque retineri. Tertio loco refutandum videtur, quod de Philippi Melanchthonis atque Buceri authoritate affert, quorum Libros noua hac Concordiæ formula aboleri metuit. Ac de Philippo Melanchthone prius. Hunc ait ante lectum postremum Oecolampadij Dialogum, alterius fuisse quidem sententiæ: sed Dialogum illum contra se scriptum *propterea non refutasse, & contendere cum Oecolampadio desijsse, quia æquior esse cœperit in hac de Cœna Domini controuersia, pag. 109. 110. imò si, cum potuerit, non refutarit, præuaricatum esse. 67. & pag. 64. melius potuisse eum de Ecclesijs exteris, & illarum doctrina iudicare, tùm, cùm Concordia composita, libris vtrinque editis, absque omni animi motu malo lectis atque perspectis, quàm cùm controuersia de Cœna Domini exagitari cœpit.* Quæ si vera sunt, quòd sententiam mutarit, doleo sanè viri optimi & doctissimi causa: sin autem falsa: vt quidem videri posset, quia mutatæ suæ sententiæ, quamdiu vixit, nullam publice significationem dedit: falsus, vt in multis alijs, testis Sturmius deprehendetur. De genero autem Philippi & nepotibus querela ad me non pertinet: Electorem Saxoniæ Sturmius, si volet, ad causam dicendam euocet: fortasse huiusmodi causas audiet, propter quas meritorum Philippi, in vindicandis generi facinoribus, nulla vel debuerit vel potuerit haberi ratio. Et fortasse eadem hæc confidentia, quæ nunc Sturmium præcipitem abripit, Peucerum quoque pessum dedit. Solent enim viri magni, cùm de Rebuspubl. aut Principibus præclarè aliquandiu meriti sunt, ipso secundæ auræ flatu efferri, neque postrema primis similia consilia capere.

De

De Bucero nihil addo : honorifica inter nos illius mentio: libros eius nequaquam abolemus : Catechismi autem cùm varij & multiplices fuissent, in singulis penè templis singuli, ipsius Buceri consilio Lutheri Catechismus in Ecclesijs nostris vsurpari cœptus est, & adhuc obtinet: nisi quòd diuisionem Decalogi aliam sequimur: definitionem Sacramentorum præclaram sanè, & sextæ partis, potestatis videlicet clauium, & disciplinæ Ecclesiasticæ explicationem adiunctam habemus. Quòd autem Sturmius putat, me ab ipso Catechismum didicisse: quia ipse videlicet maiorem Buceri Catechismum conuertit, planè fallitur. Mihi enim cùm huc studiorum causa venissem, post Lutheri Catechesin, Chytræi Catechismus ediscendus proponebatur, qui adhuc in superioribus Scholæ nostræ curijs retinetur. Quis aũt nostrum melius sciat, quid Catechismi vox significet, mea non multum sanè interest: ipsius fortasse interest, quòd non dudum me istud docuit.

Sequitur condemnatio, indicta causa, exterarum Ecclesiarum, & vicinorũ nostrorum Heluetiorum. Sed nondum probauit Sturmius, exteras Ecclesias, aut vicinos Heluetios à quoquam nostrum, aut à libro Concordiæ cõdemnari: sic præsertim, vt ipse condemnationis vocabulũ interpretatur de supplicijs horrendis, & exquisitis, & crudelib. Nam nos quidem, quos erroris condemnamus, hoc est, quos errare in dogmatibus Ecclesiasticis arbitramur, eos tantùm abest, vt supplicijs exercendos putemus, vt etiam omni cum lenitate & mansuetudine in viam reducendos arbitremur, quamdiu aliqua de ipsis spes superest: quam cùm pertinacia sua & obstinatione nobis eripiunt, rursus iusto Dei iudicio relinquendos arbitramur, vt & D. Paulus admonet: Hæreticum hominem, post vnam & alteram admonitionem deuita: Sciens quòd euersus sit, qui eiusmodi est, et per se damnatus. Quod si

verò

verò tales nostris Ecclesijs ingerere sese perrexerint, & nostræ fidei commissos auditores seducere: officij nostri arbitramur, illis nos opponere, & pro veritate pugnare vsque ad mortem. In hac condemnatione errorum & errantium, si quid crudele deprehendit Sturmius, indicet sanè, & nos conuincat: interim autem cesset, alienæ nos crudelitatis reos peragere. Vt quid enim nobis imputatur aliena crudelitas? nostra certè in afflictos & exules officia non semel extiterunt, quæ ab hac nos suspicione facilè apud pios & bonos liberant. At vt istis exulibus permittamus, non modò vt viuant inter nos, & suo sensu abundent, quandoquidem nobiscum sentire nolunt, vel non possunt: istud verò μέγα λίαν κτῆμα est: quod ne ab his, qui istud à nobis flagitant, nobis concederetur. Prætereo, quòd ab hac crudelitatis in exteros exercendæ metu, ipsi iam Pontificij liberant Sturmium, & eos qui cum ipso sentiunt: vt Acilianus ille apostata in sua ad Sturmium συζήτησιν: vt facultatis Theologicę Ingolstadianæ Decanus, qui συζήτησιν illam comprobauit: qui magna se misericordia affici præ se ferunt, & vnum hoc agere videri volunt, ne Ecclesiæ istæ exteræ aliquid damni accipiant, aut ficta nostra charitate exagitentur. Eiusdem generis est, & altera querela, quòd si hæc formula Concordiæ obtineat, persecutionem nos exercituri simus in Ecclesijs & Scholis, ex ijsdęm eiecturi eos, qui aliter sentiunt. Quasi verò non idem hoc ipsi quoque faciant & fecerint: & ab ipsa conscientia sua, & zelo gloriæ diuinæ moneri sese dicant, vt hoc faciant? Cur igitur quod ipsis necessarium videtur, id iam in nostræ partis Magistratibus tam malignè reprehendunt? Nempe Cinglianis Magistratibus licebit, Lutheranos Doctores, & Vbiquitarios, ex Scholis suis & Ecclesijs eijcere: nostris autem Magistratibus operam dare non licebit, vt rectè & concorditer

corditer in Ecclesijs & Scholis doceatur.

Vuitebergæ autem & Lipsiæ, & Ienæ & Heidelbergæ quid fiat, quid ad Sturmium? maximè cùm nihil illic, absque ipsorum Electorum voluntate & authoritate factum sit: cur de alienis Scholis solicitus est? an nescit, in aliena nos Republ. tanquam in domo aliena, mutos potiùs & surdos esse debere? Sed certo iudicio Dei factum arbitror, vt de harum Academiarum reformatione, aut, vt ipse appellat, perturbatione, tam multa quarto huic Antipappo immisceret. Iam enim nemo dubitare potest, verissimum esse, quod sibi ab Osiandro obiectum tam acriter negat: eum videlicet per meum vnum latus, Illustrissimos Electores & Principes, quorum iussu formula Concordiæ conscripta est, per alterum Theologos in Germania, de Ecclesia Christi optimè meritos, quorum opera liber iste collectus est, confodere tentasse. Vbi enim nunc illa Antipappi primi protestatio, *nihil se de Illustrißimo Electore Saxoniæ sentire velle, quòd illius instituto & nouo corpori doctrinæ officiat?* An non enim huic instituto, & huic formulæ Concordiæ omnibus modis & rationibus conatur officere? an non hic eius vnus scopus est, ne cum Electore Saxoniæ, & reliquis duobus Electoribus, cum tot Principibus & Ciuitatibus consentiatis, ne eam doctrinam suffragio & subscriptione vestra approbetis, quæ in templis & scholis vestris publicè proponitur?

Sed & pacem publicam violatum iri ait, si hæc obtineat subscriptio, quia videlicet Pontificij violandæ pacis publicæ iustam deinceps causam habituri sint, si à Romana Ecclesia de Trinitate & de persona Christi discedamus, pag. 88. *neque amplius opus habituri sint illa sua antiqua regula: Hæretico fides seruanda non est.* Verùm enimuerò probandum priùs Sturmio fuerat, quòd à tribus Symbolis, quibus pacem publicam Religionis fir-

missimè contineri ait, recesserimus, quòd ea tam fœdè conspurcemus, quòd veritatem tollamus humanæ naturæ in Christo. Quod quia neq; probauit, neq; probare vnquam poterit, vanus est hic eius metus, imò hæc contra librum Concordiæ astutissimè cogitata διαβολή: qua si ego vsus fuissem, sine dubio audirem, me Pontifici & Diabolo gladium porrigere ad necandos & excarnificandos pios.

Hactenus ergo de ijs malis, quæ ex formula Concordiæ Sturmius euentura esse falsò ominatur: ego verò, Scholarchæ, priusquam ad alia pergam, ea vobis enumerabo, quæ certò certius euenient, si Sturmij consilium sequemini. Principiò enim non vos poteritis ab ista formula Concordiæ seiungere, quin ab ipsa etiam Confessione Augustana discedatis. An non enim huius Concordiæ fundamentum est ipsa Augustana Confessio, cuius quia capita aliquot variè disputata hactenus fuerunt, omnem iam controuersiam Formula hæc, secundum fidei ἀναλογίαν, & Scripturarum authoritatem explicat. Atque iam eò res deducta est, vt ἐπέκεινα diutius non possitis: vestra de istis quoq; certaminibus dicenda sententia est: vt aut Ministrorum vestrorum, quos hactenus defendistis, sententiā probetis, aut in Cingliana castra cum Sturmio apertè transeatis. Neque tam eorum vobis exemplum respiciendum est, qui huc vsq; subscribere recusarunt: horum enim longè alia ratio est: quorum Theologi in libro Concordiæ multa notant: vestri autem nihil notant, omnia probant: vos etiam ipsi nihil dum notastis. Quod si pergatis subscriptionem negare, quid aliud, quàm eadem illa desiderare, & Cinglianos & Sacramentarios fouere velle videbimini? Quod vt probem, non longè mihi abeundū est.

Cum enim scirem, apud exteros vos hac suspicione laborare, quasi vobis ista Cinglianæ doctrinæ ἀμωμητήρια prosbentur,

bentur, & propterea ad excusandos vos in præfatione mea posuissem, vos nulli adhuc Professori permisisse, vt Caluinianam aut Cinglianam doctrinã palam proponeret: ipsi vos pag. 113. & 114. considerate, quàm apertè, non meis verbis, meoue testimonio, sed vobis & cõtestationi vestræ de Cingliano dogmate, nõ ferendo, tam sæpè repetitæ illudat, cùm hanc vestram mentem & voluntatem esse non audeat negare. Ergo à societate Augustanæ Confessionis primæ & non mutatæ, cui maiores vestri & Theologi, quos tantopere laudat, subscripserunt, vos auellit, qui vos à subscriptione libri huius Concordiæ auocat: etiam anni 1536. Concordiam idem tollit, praua sua & falsa expositione: & subscriptionem anno 1537. Smalcaldiæ factam idem ille homo penitus tollit. Deinde author vobis est, vt manifesto præiudicio damnetis, omnes illas Ecclesias, quæ iam subscripserunt: & dum condemnationem errorum, qui in exteris Ecclesijs inculcantur, quicq; vestræ etiam Ecclesiæ imminent, pati non vultis, eos, quibus cum summa vobis esse debet cõiunctio, damnare ab isthoc homine iubemini. Si enim Augustanæ Confessionis mentem atq; sententiam non rectè hæ tenent Ecclesiæ, certè in ipsa societate non fuerint, istorum quidem hominum iudicio, ferendæ. Quid quòd & omnium calumniarum & blasphemiarum huiusmodi recusatione subscriptionis reos vos & participes cõstituetis, quibus tam atrociter liber Concordię hactenus est deformatus: omnia certè Sturmij cõuitia probabitis, & feretis, nisi illa vobis displicere ostenderitis. Quæ .n. facit, ex officio se facere dicit: et sub ista adhuc tiara, hos cõdemnatorios lapides, tot Germanicarum Ecclesiarum nõ occultat, sed proijcit in cõfertam & condensatam multitudinẽ: & interim tanquam Hippolytus ille quærit, vnde fœtor iste sit. His accedit, quòd hoc pacto authoritas tollitur scriptorũ

Lutheri, non modò polemicorum, quæ iste, honoris videlicet causa, Eristica appellat: quod ipsum tamen ferendum minimè est, cùm eandem semper doctrinam Lutherus constantissimè & docendo & pugnando defenderit: sed Didacticorum etiam, pro quibus tamen Hippolytus iste in hypocausto ponens oletum, solicitus esse vult videri, vt articulorum Smalcaldicorum, vt vtriusque Catechismi, qui libro Concordiæ cõtinentur. Conferte autem, si placet, Scholarchæ, cum isto vestro Rhetore, & huius sanctissimorum Lutheri laborum criminationibus, Buceri de eodem Luthero, eiusq; singularibus donis elogia. 1. Articulum iustificationis, à temporibus Apostolorum, quantum monumenta indicant, nemo vnquam clarius & fidelius docuit. Hanc laudem iampridem à Luthero in Caluinum transferre satagit Sturmius, cùm tamen Lutheri profectò vitula in ijs, in quibus ab eo non dissensit, neq; errauit, Caluinus arârit. 2. Antichristum cum suis membris, ad extremum vsq; Spiritum, audentius oppugnauit nemo, fraudesq; ipsius luculentius orbi detexit. At hunc ad Pontificiorum sententiam recurrisse Sturmius criminatur, post motam controuersiam Sacramentariam. 3. Vera bona opera, puta, quæ ex fide vera proueniunt, inq; salutem proximi cedunt, nullus ex Patribus tam sanctè & secundum mentem Spiritus sancti docuit, atque ipse. At hunc omni charitate caruisse iactitant, & hoc potiùs ei cordi fuisse, αἱρέσεσιν, & adulationibus nimirum faciles aures accommodasse. 4. Scripturam sanctam tam purè, tanta energia, totq; argumentis penetrantibus, nemo ipso fælicius explicauit, maximè cùm ex professo locum aliquem tractare voluit. At isti nos tantos Theologos non futuros esse, imò ne concionari quidem posse aiunt, nisi Caluinianorum scripta legamus. Qua in

Iustificatio.

Papatus euersio.

Bona opera.

Scripturæ explicatio, & genuina interpretatio ex energia Spiritus sancti.

criminaſ-

criminatione si disertus esse vellem, & illud ex fabula Æsopica vsurpare, Moueat cornicula risum: Furtiuis nudata coloribus: multa fortasse dicerem, tametsi noua & hactenus nõ obseruata, verissima tamen, & quibusdam alienorum laborũ interpolatoribus minimè grata. 5. Adde versionem Scripturæ sanctæ fidelem, tersam, & eloquentia non parua ornatam. Sed qui nam quæso sunt, quibus illa interpretatio Bibliorum sordet: qui vt Luthero, eius ue discipulis ægrè faciant, hæc, & illa mutanda, tollenda, emẽdanda putãt. Quot me Triphyllios commemorare posse putatis, qui pro grabbato malint σκίμπδα dicere? 6. De Magistratu politico, quis & quæ eius officia sint, in vtraq; legis tabula, nemo hactenus tam clarè docuit. Sed vos, Scholarchæ, Tossanum interrogate, quem Sturmius tantopere commendat: iste, iste Tossanus Luthero seditionem rusticanam tantùm non apertis verbis imputat. 7. Maximorum operum in Ecclesia incredibiles successus, Augustana Confessio. Wobey er gewesen/ oder wozu er geholffen/ das hat fort gemüßt / vnnd bestehet noch vns auff diesen Tag. Sturmius contrà, quàm tenuiter, imò, quàm contemptim de Augustana Confessione loquitur, quàm prefert omnes alios Luthero: ipse Symphorianus, in ponte Rheni stans, aut in transennam nostri templi insiliens, fortior ipsi videtur, quàm ista cantio Lutheri, Ein veste Burg/ꝛc. 8. Donum Prophetiæ, daß alles/ wie er ein ding hat gesagt/ geschicht. Hac vna fortasse in re laudem Lutheri isti homines agnoscunt: Studiosè enim operam dederunt, ne vanus vates Lutherus videri posset: sed hoc ad ipsorum laudem minimè pertinet. 9. Preces efficaces, Psalmos & Hymnos, & cantica tam dilucida fecit, vt orauit: ita Ecclesiam benè armauit deuotis cantionibus & Psalmis. At nostri quid non in istis cantionibus reprehenderunt: quanta est calumniandi rabies eorum, vel propter hæc sola verba,

Donum interpretationis & versionis Scripturæ.

Magistratus.

Felices successus.

Donum Prophetiæ.

Preces.

Verborgen im Brot so klein: quæ tamen plurimis Scriptorum illis locis, tam piè & tam sanctè explicantur. Si ergò Sturmij consilium sequemini Scholarchæ: contra Buceri authoritatem, Lutheri authoritatem conculcabitis, & hæc in ipso tam excellentia dona minimè agnoscetis. Indeq; demum id verè sequetur, quod falsò ominatur Sturmius ex nostra doctrina secuturum esse, vt videlicet Iesuitæ non amplius opus habeant sua illa exceptione: Hæretico non esse seruandam fidem. Iamdudum enim vociferantur, vix duos aut tres superesse, in toto Imperio verè Lutheranos: ac propterea ijs, qui noua iam dogmata sequuntur, & à prima neque mutata Confessione recesserunt, pacem religionis minimè deberi. Quid hoc quartum, quod dicturus sum? An non enim Sturmius, cùm vobis consulit, vt ad Gangem & Euphratem nos remittatis, pag. 30. 32. mallet apertè dicere, vt ad Garamantas nos relegetis, aut in terras solas deportari curetis? Et hoc profectò faciendum vobis erit, si doctrinam nostram non defendetis. Non de alijs dicam, de meipso tantùm agam. Ego Reicheuillæ sub ditione Illustriss: Principis, D. Friderici Comitis Vvirtebergici eram: ad hanc Scholam & Ecclesiam, conscijs Scholarchis, qui tùm erant, vocatus sum. At isti non ignorabant, tum in toto agro Vvirtebergico Vbiquitatem tradi, postea honestissimis causis adductus Tubingam redij ad accipiendum testimonium Doctoris Theologi. Tunc etiam constabat, Tubingæ Vbiquitatem tradi: & tamen vobis Scholarchis placuit, eò me proficisci, & ibi potissimùm gradum hunc consequi. Disputaui posteà publicè aliquoties: aliqui certè argumenta vehementius, quàm pro more disputantium, opposuerunt: quibus ita, vt debui, respondi, neq; id mihi obesse sensi: à nullo certè reprehensus sui: secuta est ist hæc controuersia: & controuersiam hanc

mors

mors optimi & doctissimi viri, D. Iohannis Flinneri: & illius mortem noua pastoris electio, cùm ego istud oneris minimè cuperem: fuerunt tamen, qui disputabant, non esse mihi commendandam Cathedralem Ecclesiam, ne hoc in præiudicium istius causæ, videretur fieri: electus tamen fui, & electio confirmata fuit à Senatu. Nimirum sciebant me Vbiquitarium esse. Post tot de mea Confessione facta iudicia, si ad Gangem & Euphratem me mittetis, æquo animo patiar, & tantò certè æquiore, quia ista vestra de me & Confessione mea extant iudicia. Sed fortasse & ego tuguriolum in æstu, & focum in frigore inueniam: & alij, quibus veritatem constanter defendere placuerit. Sed nihil ne amplius sequetur? Imò verò. An non enim, qui nobis substituentur Concionatores, in vos inquirent: in vos, inquam, qui toties testati estis, Caluinianismum vobis non probari: vos vituperabunt, vos exagitabunt, vos persecutorum loco habebunt. Quid quòd hi ipsi Pontificij, qui nunc Recusatoribus istis adulantur, palmarium se reperisse arbitrabuntur, ad delendas reliquias nostrarum Ecclesiarum? Et quod caput est, quomodo non locustas metuemus, aliasq; consimiles pœnas, si pro hoc tanto dono illustrationis veræ doctrinæ, tam simus ingrati? An non enim tot iam annis à morte Lutheri, pij omnes hoc præcipuè in votis habuerunt, vt istæ tandem controuersiæ componerentur. At compositæ iam sunt & explicatæ, modò gratis nos animis summum hoc Dei beneficium accipiamus. Concludam igitur & ego locum hunc ijsdem penè verbis, quibus pa. 88. Sturmius vtitur. Oro vos per vulnera Iesu Christi, per fidem & officium vestrum: per huius Ciuitatis dignitatem atque existimationem, per omnia, quæ vobis carissima sunt, vt in hac tam graui causa, in his malis, in his quæ impendent,

peri-

periculis, non numeretis, sed ponderetis, quæ in hac quæstione & deliberatione dicentur, sententias, vt quæ duobus postremis Anhaltinorum scriptis responsa sunt, diligenter considideretis: vt cogitetis, non posse vos ab huius formulæ subscriptione recedere, quin à societate pacis, & publicæ religionis recedatis: quin Germanicas Ecclesias damnetis: quin perpetuas in schola, & Ecclesia vestra rixas alatis. Iam ad ea dum inceps respondebo, quæ de Synodo adfert. Res magnas controuertiait: & propterea Synodum necessariam esse: nemo hoc nostrum diffitetur: ne ipsi quidem, qui appellantur Patres Bergenses, authores formulæ Concordiæ. Sed primùm, quomodo conuocari in hoc tempore posit, non videmus: deinde si conuocari facilimè posset: tamen ante eam Ecclesiæ Germanicæ de suis controuersijs necessariò statuere deberent, vt certum aliquid & deliberatum ad Synodum afferrent, quæ duo vt ita esse comprobem, ante omnia, qualē ipse Sturmius Synodum describat, ostendam. *Mos*, inquit, *erat Imperatorum*, pag. 45. *Christiani qui essent nominis, & fidei, & doctrinæ, in grauibus controuersijs, doctissimorum hominum, & sanctorum virorum conuentum edicere*, & rursus, pag. 46. *Imperatorum erat concilia edicere, cognitis Ecclesiæ grauibus morbis*. Quod dat Sturmius, libenter accipimus: reuera enim Imperatorum est concilia edicere. A Pontificijs sanè Synodum maiores nostri postularunt, neq; voluerunt ab ijs indicta causa damnari: quia ab illorum partibus Imperator erat, qui Synodum conuocare poterat: & quia pax publica ipsis negabatur, nisi ad Pontificias superstitiones redirent: à nostris partibus Imperator non est, neq; nos cuiquam diuersum sentienti bellum minamur, ideoq; à nobis peti non potest, vt quod Imperatorum est, nostri Principes sibi sumant. Ab Imperatore ergò Synodum impetret, propter exteras Ecclesias: in nobis mora nulla erit,

vocari

vocati veniemus. Si verò Augustanæ Confessionis Ecclesię plæræq; iudicarunt, controuersias suas absq; Synodo iudicari posse: quid hoc ad Sturmium, quid ad exteras Ecclesias? Absq; enim Ecclesiarum exterarum ministris esset, & paucis, qui eorum sententiam sequuntur, iam in Ecclesijs Augustanam Confessionem profitentibus, pax esset, & tranquillitas, quoad ista quidem dogmata. Neq; isto libro Concordiæ exteræ Ecclesiæ excluduntur, si ipsæ includi velint, hoc est, si anni 1536. Concordiam, quam hucusque improbarunt, probare velint. Quod ipsum de Caluino respondeo. Quis enim credat, locum ei hic futurum fuisse, aut Lutherum ei salutem ascripturum fuisse, nisi præ se tulisset, se illam anni 1536. Concordiam probare? Si enim disertè illam improbauit Caluinus, nemo non videt, quid obijci nostris maioribus, & Bucero præsertim posit, quod quam cum Luthero Vuitebergæ Concordiam instituerunt, eam domi minimè seruauerint. Petant ergò exteræ Ecclesiæ, aut etiam inter Augustanæ Confessionis Ecclesias illæ, quæ hoc remedio opus esse putant, Synodum ab Imperatore: eamq; siue οἰκουμενικὴν, siue μερικὴν: nihil enim id nostra interest: ad vtramuis vocati veniemus, fidei nostræ rationem sincerè, & fideliter exposituri. Et tunc si placebit, in commune libenter consulemus, de eligendis personis, & de norma iudicij: quanquam fortasse cum Sturmio & Sturmianis hac in parte conuenire non poterimus. Nam neq; inter septuaginta Iudices, quadraginta Cinglianos, 30. Vbiquitarios deligemus, vt velle videtur Sturmius: neque Patrum authoritatem Scripturæ æquabimus. Hæc igitur, si authoritate Imperatoria Synodus conuocaretur, nos acturi essemus: nihilominus tamen operam daturi, vt Ecclesiarum Augustanæ Confessionis nomine, si non omnium, plærarumque tamen, & præcipuarum nomine

vnam & consentientem Confessionem afferremus, & Scripturarum oraculis munitam, & Patrum authoritatibus confirmatam. Nam quod à nobis parui fieri Patrum authoritatem conqueritur, & Matrum authoritates requiri: ijs hoc dictum & responsum sciat, qui sacrarum literarum authoritate vinci se non patiuntur: qui cùm ad Scripturæ testimonia nihil possunt respondere, ad Patrum authoritates confugiunt, quas se ad suam sententiam facilius detorquere posse confidunt. Nos verò & Patris nostri inprimis authoritatem sequimur, qui in Scripturis suam nobis voluntatem explicauit: & Matrem, hoc est, Ecclesiam, & Ecclesiæ Doctores ita audimus, si à Patris sententia nihil diuersum nos doceant. Neq; Dianæ, opinor, templum ego propterea incendi: si Harmaro petenti, ne Patrum authoritates authoritatibus opponerem, respondi: Augustinum in explicanda præsentiæ Christi ratione, sibi non admodum constare, siquidem ita accipienda sint illius testimonia, quemadmodum ipse eis vtebatur. Afferebat inter cætera, ex tractatu in Ioh. Christum corpore abesse, gloria & maiestate adesse: respondebam initio, corpus ab Augustino de corporali conuersatione intelligi: gloriam autē & maiestatem totius personæ esse, propriam quippe Verbi, communicatam autem naturæ assumptæ. Hæc cùm Harmaro explicatio non placeret: quid aliud respondere debui, quàm ex ista ἀσυνθεσίᾳ consequi, vt ipse sibi Augustinus non constet? Quomodo enim hæc Harmari explicatio cum illis conciliari posset, quæ suprà adducebam, Quis autem nostrū, qui parùm aduertimus, &c? Iam siomnium eorum Theologorum testimonia enumerare vellem, qui fatentur, Patres sibi non semper constare, quàm latum campum haberem? Ipse certè Sturmius, pag. 123. fatetur, *ita Patres aliquando scribere, vt nisi ad fidei regulam, & Euangelicum*

Cano-

Canonem, & Sacramentorum sanam doctrinam reuocentur, difficilis sit futura explicatio. Vter autem nostrum magis sudarit, ego ne, quem ipsa fortasse corporis constitutio excusat: an Harmarus, cum illa ad Philip. secundo verba Apostoli examinaremus: penes auditorem iudicium esto. Fatebar equidē priorem illorum verborum partem à plærisq; Patribus ad diuinam Christi naturam referri: addebam tamen duo, quæ Harmarus negare nullo modo poterat, 1. Patres sequentia: Quapropter & exaltauit eum Deus, maximo consensu ad humanam naturam referre: 2. deinde, eosdem testari aliàs sæpissimè, eandem naturam exaltari, quæ prius fuisset exinanita. Ad quæ duo cùm respondendū Harmaro fuit, sudarit ne, an gelidus ei accurrerit circa præcordia sanguis, mea sanè non multum interest. Ergò non satis est, Patrum saltem testimonijs inniti, & Scripturarum interim authoritatem contemnere: sed & nos & Patres à Scripturis discere debemus. Considerate hoc loco, quæso ego vos, Scholarchæ, quanti maioribus nostris constiterit, vt Pontificios à Patrum testimonijs, ad Scripturarum authoritatem detraherent: non quòd Patrum authoritatibus contra Pontificios vti nō possent, quemadmodum & nos meliore profectò fide, quàm aduersarij sacramentarij, vtimur: Sed vt ne à vero & vnico fundamento, ad incerta, & ambigua detraherentur. Saltem Synodi Tridentinæ, à nostris tandem probata iudicij norma, Sturmio satisfaciat: & desinat vel tandem, ex Patrum authoritatibus inuidiam nobis augere.

Ergò hæc de Synodo breuiter: nunc in isthac quidem parte Sturmij Confessiones examinandæ restant: de quibus, vt tandem aliquando finis sit, agam, quàm potero, breuissimè. Quanq; quæ in commonitione de Paradiso ponitur,

non tam Confessio est de illis controuersijs, quas oppugnat Sturmius, qu'am astuta & callida repetitio capitum non controuersorum, vt nihil dicendo, aliquid tamen dixisse videa-
Pag. 32. tur. *Cùm deinde ad Noën, & arcam eius, fœdus Domini cum Noë factum, ad arcam Domini: & à Noë ad Abraham & Rebeccam: ad Melchisedech typum sempiterni Sacerdotij: ad agnum paschalem: ad mare rubrum: in desertum: ad nubem, baptismum Patrum, & Patriarcharum, ad horum mannam: ad petram sequentem nos proficisci iubet, vt discamus, quòd Patres & Patriarchæ, Moses, Aaron, Phineès, cæteri Patres, eandem escam cum nostra, spiri-*
Pag. 33. *tualem comedissent: cibati cælesti manna à Christo ipso, qui est manna, quæ de cælo descendit, vt videamus, eos, qui ventris causa illud manna comedissent, cæsos, trucidatos à serpentibus, propter Idololatriam, quibus Deus venter erat, Mammona Deus erat, ad quos manna cælestis non perueniebat: cùm huc nos proficisci iubet, & isthæc considerare:* satis ostendit, sibi noui & veteris testamenti Sacramentorum differentiam nequaquam esse cognitam. Nonne enim pag. 35. inter veteris testamenti Sacramenta, & cœnam Domini, quam acceperunt Apostoli, discrimen nullum facit? *Ecce,* inquit, *vt Apostoli ante mortem Christi, passuri Christi corpus acceperunt, ita Patres etiam passuri: non'ne inter Apostolorum, & nostram cœnam discrimen facit, quòd nos ad memoriam passi Christi, & pro nobis traditi, pane benedicto in cœna, & vino vtamur, quemadmodum Patres & Apostoli, ad spem nascituri & passuri Christi. Iam illud cuiusmodi est, quòd non spiritualem illam fruitionem, sed Sacramentalem, eodem loco, ad Paradisum, & ad vitam æternam producit:* cùm D. Apostolus contrà in vsu sacræ Cœnæ mortem Domini annunciare nos iubeat, donec veniat. Neq; nego in vita æterna, nos corpore & sanguine Domini, omnibusq; eius meritis perfruituros: sed illam fruitionẽ, cœnam Dñi appellari posse, hoc

vero

verò est, quod probari mihi cupio. Videtis Scholarchæ, quàm inscitè omnia iste nouus Theologus confundat, Paradisum, legales vmbras, corpus Euangelij, siue noui testamenti, vitam denique æternam. Sed hoc ex altera eius Confessione, quam in Antiprocœmio ponit, clarius etiam perspicietur.

Ægrè fert, quòd interrogationes ipsius, quas in Antipappo minore posuit, ostenderim ad spiritualem tantùm manducationem pertinere, quę extra sacram cœnam fit: ideò pleniorem iam Confessionem se propositurum sperat: & Deum Patrem omnium nostrum, & Iesum Christum redemptorem in principio illius Confessionis orat, vt Spiritu suo sibi adsit, vt quæ animo, & mente complexus est, ea posit stylo exarare, vt apertè ab omnibus intelligantur. Ego in istius quoque Confessionis refutatione oro, certiore tamen cum spe, neque cum ea dubitatione, qua Sturmius, in fine suæ Confessionis vtitur, qui concedit, vt ei addatur, & detrahatur. 1. *Confiteor igitur, vt baptisma lauacrum regenerationis est in nouum hominem: sic Eucharistiam eiusdem esse nutricationem, alimoniam, cibum atque potum.* Non malè ist huc primum, si non malè explicetur, aut intelligatur. Fraus tamen subesse potest, in noui hominis appellatione: qua Sacramentarij animam solummodo regeneratam videntur complecti, nos totum hominem & nouum & veterem dici arbitramur: nouum, quatenus regeneratus est: veterem, quatenus caro adhuc aduersus Spiritum concupiscit, neque ei subijcitur. Ergo totus homo in Baptismo regeneratur: totus homo substantiæ S. Eucharistiæ particeps efficitur. Deinde de vsu siue fine hanc propositionem concedimus, non de ipsa cœnæ substantia. Non enim sequitur, si hunc apud omnes effectum S. cœna non habeat, propterea panem κοινωνίαν non esse corporis Christi: neque debuit

Pag. 116.

Pag. 119.

1.

Sturmius, vel ab vsu Confessionem suam auspicari, vel
2. eam ipsam, cum substantia cœnæ confundere. 2. *Omnes, qui Adami lapsu ceciderunt, hi per Christum, rem scilicet horum Sacramentorum, resurgunt, qui mortui sunt, regenerantur: qui regenerati esuriunt, satiantur: qui sitiunt, potantur, si modo veram fidem ad hæc Sacramenta, eorumque fructum percipiendum afferant.* Duplex in isthac thesi vitium est: vnum, quòd inter regenerationis instrumenta, verbi prædicatio, ex cuius auditu fides est, non ponitur: alterum, quòd resuscitatio, regeneratio, alimonia & potus, quam verbi prædicatio per fidem suppeditat, cum Sacramentorum arrhabone & obsignatione inscitissimè confunditur. Esurientes enim & sitientes iustitiam, verbo etiã satiantur, egrediente ex ore Domini. Sed istud rursus astutè fit, vt nulla videatur alia
3. Sacramentalis, quàm spiritualis manducatio. 3. *Idem Baptismo semel lauantur, ijdem Eucharistia tota vita aluntur, siue esuriant, siue sitiant.* Rursus idem in Confessione vtriusque manducationis vitium, idemque paralogismus in se-
4. quente etiamquarta thesi. 4. *Semel homines secundum naturam nascuntur: simulac enim homo natus est, non rursus nasci est necessarium, neque nasci secundum naturam.* Hoc & Nicodemus sciebat: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Num potest in ventrem matris suæ iterum introire, ac nasci? Sed cur Nicodemica ista thesis hoc loco ponatur, post videbi-
5. mus. 5. *At nutriri semel non est satis, in hac vita dum viuitur: vitæ nutrimenta quotidiè sunt necessaria.* At nemo istud ignorat: imò & nos sæpissimè vtendum esse cœna Domini admonemus. Quid igitur? quomodo hanc duarum the-
6. sium similitudinem Sturmius accommodat? 6. *Sic etiam semel baptisari lauacro Christi & regenerari satis est, quod virtute altissimi fit, Spiritu scil. sancto. At satiari cibo & potu cœlesti semel*

mel non satis: perennis ista alimonia est: non solùm in hac vita, sed etiam in vita æterna. Baptisari lauacro Christi, & regenerari semel satis, quia CHRISTVS neque exemplo, neque præcepto baptismum repetere docuit: Cœna sæpe vsurpanda, & propter præceptum Domini, qui ait: Hoc facite in mei commemorationem, &: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Sed istud, quod addit Sturmius, quomodo probaturum eum putetis, si de Eucharistia proprie hoc velit intelligi? Fides enim in vita æterna cessabit, & spes: & fidei signaculum, sacra Cœna, non cessaret? Quod igitur est spei nostræ fundamentum? quòd credimus, Deum fore omnia in omnibus, si symbolis adhuc & signis in vita æterna opus habebimus? 7. *Vt in baptismate Iohannis Christus baptisabatur, Pater virtutem suam de cœlo demisit, quæ in specie columbæ apparuit, quæ actio Patris erat, & Filij, & Spiritus sancti. Sic etiam in Eucharistia, quam Christus in extrema cœna sua instituit, Christus filius Dei, & virginis Mariæ, suo Sacramento pascebatur: idemq; discipulis suis idipsum Sacramentum distribuit, & vescendum dedit, non tantùm panem & vinum, sed etiam corpus, & sanguinem suum, quam rem cœlestem Irenæus appellat.* Breuiter respondeo, Christus nõ baptisatus est, vt ipse à peccatis regeneraretur, qui peccatũ ipse non fecit, neq; dolus inuentus est in ore eius: ita si etiam constaret, Christum vnâ cum discipulis Eucharistia vsum esse, tamen nõ sequeretur, eundem effectũ Eucharistię in Christo, quem in Apostolis, fuisse. Rursus sicut propterea baptisatus est Christus, tota antiquitate orthodoxa teste, vt aquas omnes, quibus baptisamur, sanctificaret: ita si ipse de pane benedicto & vino communicasset, hoc ꝓpterea fecisse deberet intelligi: vt Symbola illo Eucharistię sanctificaret. Sed nõ, quemadmodũ de Baptismo scriptum est, Christum Iohannis baptismate baptisatum fuisse:

7.

fuisse: ita de Eucharistia itidem scriptum est: atque id idcircò à nobis temerè non est affirmandum. Deinde quòd fatetur Sturmius, Christum discipulis non tantùm panem, sed corpus etiam & sanguinem suum vescendum distribuisse, rem magnam præstare videtur: sed videbimus postea, quos discipulos vocet, & quam distributionem, & κοινωνίαν intelligat.

8. 8. *Eucharistiæ mysterium, omnium mysteriorum maximum est, omnium mysteriorum in se virtutem continens: & vt Christus rex regum, & Dominus est omnium dominatorum: ita istud mysterium omnium mysteriorum est mysterium: vnde & per excellentiam in Ecclesia, tam Græca quàm Latina, Sacramentum & μυστήριον absque adiectione semper appellatum fuit.* Summam esse huius Eucharistiæ dignitatem nemo negat, cum ipsius corporis & sanguinis Dominici κοινωνία sit: mysteriorum etiam omnium in se virtutem continere nemo negat: siquidem per mysteria veteris Sacramenti typi intelligantur: alias tamen aliud esse sacræ cœnæ, aliud Baptismi mysterium, ipse etiam Sturmius, vt suprà audiuimus, fatetur. Sacramenti autem & μυστηρίου appellatio, etsi per excellentiam Eucharistiæ tribuitur: non ignotum tamen est, Baptismum etiam mysterium ab eadem & Græca & Latina Ecclesia nominari: & apud Paulum coniunctionem spiritualem Christi cum Ecclesia, quin & Euangelij doctrinam.

9. 9. *Eucharistiæ mysterium ipsa lege antiquius est: vt ipse agnus paschalis legem tempore antecessit, cum ex Ægypto populus Dei esset exiturus: & ante legem maris rubri transitus extitit, in quo baptisatus populus: & ante legem Petra, & aqua ex Petra manans: & ante legem manna de cœlo, Sacramentum corporis & sanguinis Dominici.* Rursus in ambiguitate vocabuli, μυστήριον, ludit. Si enim de typis, & figuris loquitur: certè ante legem agnus paschalis, & manna, & aqua de Petra, fuerunt. Si autem per μυστήριον sacramentum

tum intelligit, turpissimè hallucinatur. Quantum enim discrimen inter manna sit, & cœnam Domini, vel ista de vtroque verba Domini ostendant: Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt, Ioh. 6. Et: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Ostendat Sturmius de Manna dictum esse, Hoc est corpus meum: aut de aqua ex Petra profluente, Hic est sanguis meus noui testamenti, & noui ac veteris testamenti Sacramentorum differentiam sustulerit, ac vicerit. 10. *Et nostra esca spiritualis est, vt Patrum fuit: Patribus Christi nascituri, & passuri: nobis Christi nati, & passi, vna eademq; virtus, salus, & potentia. Qui enim creauit innocentem, an non potest nocentem restituere in integrum? an non corruptum purgare, qui incorruptum condidit?* 11. *Patribus in terra, vmbra: nobis in terris imago: veritas in cœlo est, vt eleganter ait Ambrosius.* Est quidem esca nostra & ipsa spiritualis, sed non vt Patrum, quod ipse Sturmius thesi 11. fatetur, qui inter vmbram Patrum & nostram imaginem discernit, quanquam non satis ista explicata est distinctio. Aliter autem Paulus Col. 2. de veteris quidem testamenti typis, quæ sunt vmbra rerum futurarum: de noui autem testamenti gloria, corpus autem Christi, & epistola ad Hebr. similiter capite 10. Lex vmbram obtinet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, εἰκόνα τῶν πραγμάτων. Hanc si imaginem intelligit 11. thesis, non quæ vmbræ comparatur, sed quæ opponitur, concedemus quod ponitur: sed id contra nos minimè faciet. Si enim vetus & nouum testamentum compares: illic vmbra, hîc ipsa πραγμάτων εἰκὼν, ipsumq; σῶμα est: si nouum testamentum cum futura æternæ vitæ gloria conferas: non negabimus, nos hîc per speculum in ænigmate cernere, tunc autem de facie ad faciem. 12. *Et tametsi Christi corpus, quod natum ex diua virgine fuit, quod in*

10.

11.

12.

monte, in Golgotha, cruci suspensum, quod post resurrectionem à divo Thoma palpatum, verè in cœlo est: tamen nihil impedit, quin & hîc, in imagine & Sacramento, verè à fidelibus percipiatur. Hic iam intelligitur, quid sibi per veritatem in cœlo voluerit, superiore propositione. At si cœlum de creato, & hoc aspectabili cœlo accipiamus, repugnat rursus ad Hebr. epistolam, quæ ipsum ait sublimiorem cœlis factum, & διελήλυθότα τῶν οὐρανῶν. Sin de gloria beatorum, de ipsa sede & habitatione Dei: non poterimus eum, nisi Anthropomorphitæ esse velimus, certo alicui loco includere: & tamen τὸ ῥητὸν articulorum Symboli retinemus. Cœlo enim, ad quod Christus ascendit, dextera Dei patris omnipotentis continetur, quæ loco nullo, ipso etiam Sturmio teste, continetur. Ergo quod corpus Christi verum in cœlo est, id nequaquam impedit, vt etiam hîc in imagine & Sacramento verè, & à fidelibus, & ab indignis percipiatur, vt suprà est ostensum. Non enim debemus præsentiæ Christi causam in fide nostra collocare: Corpus enim Christi, vt aiebat suprà Augustinus, etiam illis erat, de quibus dictum est: Comedunt sibi ipsis iudicium.

13. 13. *Panis & vinum à Melchisedech Abrahamo datum, Euangelici Mysterij, & Euangelicæ cœnæ fuit πρωτότυπον, vt plerique veteres interpretantur.* Istam sic damus, vt tamen non obtulisse, sed protulisse panem, & vinum Melchisedech dicatur: ne inde Pontificij Sacramentum cœnæ, in sacrificium pro viuis & mortuis transforment. Quanquam epistola ad Hebræos melior omnibus veteribus interpres, quamuis de Melchisedecho accuratissimè omnia ad Christum transferat,

14. Eucharistiæ tamen non meminit. 14. *Omnia ista mysteria non signa solùm sunt, vt Patribus, rerum futurarum, sic nobis præteritarum in terris, vtrisq; verò futurarum in cœlestibus sedibus: sed etiam cum potentia repræsentantia omnia ea, quæ promissa sunt:*

cum

cùm corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, tùm necessitudinem, quæ inter Christum est, & inter Ecclesiam eius: cuius ipse caput est, nos membra eius, cùm hîc, tùm in futuro seculo. Ludit in verbo repræsentare: quod si de typo accipiatur, nihil aliud dicit, quàm mysteria veteris testamenti, nō solùm signa esse, sed etiam signa: h. e. nugatur, & ἀδολεσχεῖ. Si autem de κοινωνίᾳ intelligit: quomodo mysteria veteris testamenti potuerunt repræsentare, h. e. exhibere corpus Christi, quod nondum erat natū? Deinde alia est κοινωνίας ratio in vetere testamento, alia in nouo, alia in vita æterna. In vetere testamento vmbra erat futurorum bonorum: in nouo ipsum corpus est, in speculo tamen & ænigmate verbi, & Sacramentorum: in vita autem æterna ista omnia de facie ad faciem, cum Deus videlicet erit omnia in omnibus. Præterea nusquam sic Scriptura loquitur, quòd vel Patres in veteri Testamento participes facti sint corporis & sanguinis Dominici: vel quòd nos in vita æterna eius participes simus futuri: maximè ea ratione, quæ est in sacra cœna. Denique & κοινωνία corporis & sanguinis Christi, cum ea necessitudine, quæ est inter Christum, & Ecclesiam, quæque κοινωνία illa corporis Christi confirmatur, inscitè isthac 14. thesi confunditur. 15. *Vt Christus in altera parte mensæ accumbens dedit discipulis suis, ex altera parte accumbentibus: & vt neque tum ipse Christus in pane, neque in calice fuit: sed ipse de suo Sacramento comedit, & bibit, & suis discipulis communicauit: ita etiam nunc in cœlo sedens ad dexteram patris, nobiscum in cœna est, & sese nobis communicat. Nam sic etiam in terra fecit, & sic ipsum Pater facere voluit, & sic Spiritu suo in Apostolis cœnantibus operatus est, & sic interuentu Spiritus S. in Sacramento, seu mysterio, carnem & sanguinem suum communicauit Apostolis.* Christus mensæ accumbens, neque in pane, neque in calice fuit localiter, quod nemo vnquam 15.

nostrum credidit, aut credi sibi postulauit: sed idem tamen porrecto pane, discipulis corpus suum porrexit, & porrecto calice, sanguinem: quia panis κοινωνία est corporis, vt D. Paulus interpretatur, & calix sanguinis. Ergo & nunc sedens ad dexteram Dei patris, non in finito aliquo throno, nobiscum in cœna est, & corpus suum, & sanguinem nobis communicat, quod etsi sine Spiritu sancto non fit, non tamen fit spiritualiter, siue absque Symbolis, quod in isthac thesi videtur latère: sed cum pane & vino, absque quibus, vt altera Sacramenti parte, Sacramentum non est integrum.

16. 16. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur, inquit Paulus Apostolus. Si igitur ex Adamo peccatum & mors in omnes homines: cur non ex Christo vita simul in omnes, & tantò potentiùs in extremo Adamo vita, quantò primo ipse est*
17. *potentior.* 17. *Nascimur igitur in Christo, adolescimus in eo, ex eius carne & sanguine, & Spiritu eius viuimus, morimur etiam in eodem Domino, vt cum eodem in hac carne nostra, quæ est caro de carne eius, resurgamus.* Sed hæc vt simpliciter vera sint, neque aliquid hîc lateat: ad istam tamen controuersiam Sacramentariam non pertinent. Videamus igitur sequentem.

18. 18. *Et hæc κοινωνία ac coalitio cum Christo, quod sanè magnum est mysterium, non malè ab Hilario, Cyrillo, alijsq; non tantùm spiritualiter, sed etiam naturaliter, vt sanctissimi illi viri loquuntur, fieri dicitur in hac mystica benedictione, & Sacramento panis benedictionis.* Superiores duæ theses de benedictione Sacramentali, quæ fit per panem & vinum benedictionis, nihil plane egerunt: sed illa spirituali, quæ extra sacram cœnam fit, auditio, & fide percepto verbo. Ab illa igitur spirituali benedictione, Sacramentalem hanc Cyrillus & Hilarius distinguunt, quoties docent, nos nõ tantùm spiritualiter, sed etiam naturaliter, & corporaliter cum Christo vniri. Ex hac vna

autem

autem thesi animaduerti potest, qua fide isti homines verba Sanctorum Patrum citare, & interpretari soleant, qua de re aliàs fortasse aliquando erit dicendi locus. Nunc 19. sequitur thesis. *Panem enim cum Paulo dicimus panem benedictionis esse, & eundem à Christo per fideles Ecclesiæ ministros benedici: & hunc panem corpus suum Christus dici, & pro corpore suo haberi & esse voluit, seipso licet corporaliter absente in cœlesti throno. His hoc modo intellectis, verum est quod veritas dicit: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* At si non aliter, quàm his hoc modo intellectis, verum est, quod veritas dicit: cur tanta circuitione opus est, vt post octodecim demũ theses fateatur, licet Christus panem benedictionis corpus suum dici, & pro suo corpore haberi, & esse voluerit, ipsum tamen Christum corporaliter, hoc est, corpore suo abesse in cœlesti finito throno? Vt enim sic istud, corporaliter, exponam, ipse Sturmius facit, qui hanc istius vocis interpretationem non admittit, vt corporaliter sit modo corporeo, aut sensibus perceptibili. Etsi igitur totis 18. thesibus videri vult Sturmius, præsentiam & κοινωνίαν corporis Christi, in sacra Cœna admittere: tamen vel tandem ipse suo se indicio prodit, quòd sacram Cœnam sine Christi corpore peragat, & peragendam putet. 19.

Breuiter, Scholarchæ, Sturmij Confessionem percurri: ex qua manifestum est, si vos eius sententiam sequamini, & libro Concordiæ non subscribatis, eiusmodi vos Doctores habituros esse: qui veram vobis corporis Christi præsentiam è sacra Cœna tollant. Itaq; videte admodũ etiam atq; etiam, quem ducem sequamini: ne quod vos Principibus respondisse audio, vos & Ecclesiam & Scholam vestram à dogmate Cingliano immunem esse velle: idipsum Sturmiana hæc Cõfessio, & Sturmianum consilium, si à vobis probetur, falsum redarguat. Non hoc propterea pono, quòd de fide vestra, ac

Confessione toties contestata dubitem: sed vt ne alij, qui ex istis tantùm scriptis nostris aduersarijs iudicant, diuersum de vobis suspicentur, aut sentiant. Et cur quæso graue vobis esset, aut cur toti Magistratui graue esset, huic libro subscribere, cuius doctrinam à tot ministris vestris, tam consentiente doceri, & probari auditis: quorum vos non modò auditores esse, non dedignamini, sed ne patroni quidem: quibuscum eadem in Ecclesia, ijsdem Sacramentis participatis? Adimite tandem Cinglianis trophæa hæc, quæ de vobis statuunt, imò iamdudum statuerunt: & ostendite, nihil minùs vos in ista hac trium iam annorum deliberatione, quàm de veritate eius doctrinæ, quam publicè ciuibus vestris & liberis proponi curatis, dubitasse. Et valeat sanè apud vos Sturmianum illud dilemma, quod in fine commonitionis ponitur: sed rectius aliquantò conformatum. Aut enim eadem tradit hæc formula Concordiæ, quæ in Augustana Principum Confessione comprehensa sunt, aut diuersa, & contraria. Si diuersa, aut contraria: cur talia, in Ecclesia & Schola vestra doceri sinitis? Si eadem, cur subscribere, & veritati laboranti testimonium perhibere recusatis?

Joan-

IOANNIS PAPPI,
DOCTORIS THEOLOGI,
DEFENSIONIS QVARTAE
PARS TERTIA,

Depulsio criminum, Authoribus libri Concordiæ, Ministerio Argentoratensi, ipsiq; Pappo, à Sturmio obiectorum.

FEcit & in isthoc quarto Antipappo Sturmius, & in duobus proximis, quod fermè rhetores solent, cum à causæ bonitate destitui sese videt, nimirum à re ipsa digressus, non modò in me, sed etiã in multos alios doctissimos, optimosq; viros ingentia iecit plaustra conuitiorum. Nimirum, quod & Petiliano Augustinus obijcit, hoc egit, vt occupatus ego in defensione personarum nostrarum, susceptam causam etiam ipse desererem, atq; ita hominibus, non ad disputantium, sed ad litigantium verba conuersis, obscuraretur veritas, quam dilucescere, & innotescere formidat. Ego itaq; contra hoc cõsilium ipsam prius causam perorare volui: personarum defensione ad extremum reseruata: quam ipsam planè tamen omittere visum non est, ne vel ipse obiecta crimina, atrocia sanè & grauia, agnoscere, vel famæ & existimationi bonæ proximi laboranti non viderer succurrere. Neque tamen pro maledictis maledicta rependam: quid enim si hac ego in parte Sturmium sequerer, aliud, quàm duo maledici essemus: vt ij, qui nos legerent, alij detestatos abijcerent sana grauitate, alij suauiter haurirent maleuola voluns-

Lib. 3. cap. 11.

Ibid.

voluntate? Principio autem ea breuiter percurram, quæ libri Concordiæ authoribus obijcit: deinde ad illa respondebo, quibus totum Argentinense ministerium deformat: postremò ea quoq; refutabo, quæ mihi per summam iniuriam imputat.

Ergò authores libri Concordię valdè inclemēter tracta, idq; quam plurimis locis, quorū ego aliquos saltē producam. Pag. 91. *An non queam animaduertere, qui & quales sint, & quomodo ad hoc arbitrium peruenerint, quid agant, quomodo agant, quomodo suffragia præhensent, aucupentur, exprimant? Non obseruare liceat, quibus vtantur internuncijs, administris, adiutoribus, quibus mendacijs, quibus calumnijs, quibus condemnationibus? antequam omnes ordines scripserint? quid, posteaquam subscriptum erit, non mihi liceat prouidere, quid sit insecuturum?* pag. 92. *Et de ea re iudicium & arbitrium isti assumpserunt, in qua ipsi rei sunt,* pag. 95. *Pastores, Ecclesias, Principes, exortes esse pacis publicæ volunt, qui suæ formulæ recusent subscribere.* Ibid. *vbi verò hi boni, pij, rectè sentientes, quærentes veritatem? istine chrematistæ? qui huius formulæ authores sunt? Ostendantur duo aliqui boni in istis, qui non bonos vexarint, & bonus sit, qui bonorum inimicus sit? vbi hi pij? in istáne congregatione sex capitum, ingrati discipuli aduersus præceptorem suum, quem parentis loco debebant colere: ingratiis impij in ministerium maiorum suorum: viperæ, quæ nasci, hoc est, suas facultates diuere, honores adipisci non possunt, qui ad lucem et Solem venire non possunt, nisi parentes suos enecent, &c.* pag. 185. *Vt Philippū Melanchthonem vleiscamini, vt rem faciatis, vt nundinemini, vt negociatores clerici sitis, hæc instituitis. Vt tyrannidem vsurpetis, tyrannicè suffragia ementimini, eblandimini, exprimatis, extorquetis.* Hæc autem crimina si de libri authoribus probanda Sturmio essent, quomodo quæso ea probaret? Nam de triuio testes quis ferat, in tanta præsertim causa, in tam atro-

cibus

cibus criminibus? At certo certius est, probationes nullas alias Sturmium habere, nisi quòd à suæ farinæ hominibus, à suis adulatoribus, à suis circumcursitatoribus, & emissarijs ista audiuerit. Suffragia libri Concordiæ nemo ementitus est, nemo eblanditus, nemo expressit, nemo extorsit. Si qui, quòd subscribere noluerunt, loco iussi sunt cedere, aut iubebuntur: num propterea tyrannidem eiusdem Magistratus exercent, qui volunt ministros Ecclesiarum suarum de summa doctrinæ consentientes esse. An non si Sturmij consilium sequamini, aut subscriptione libri Concordiæ mihi interdicatis, aut si istud ostendam me facere non posse, ipsi me missum faciatis? Tunc ne ergo dicam tyrannidem vos exercuisse? tyrannidem nobis isti homines obijciant, qui tam impotenter in nos debacchantur, qui prius etiam, quàm potestatem in nos adipiscantur, non celant, quid facturi essent, & quid libenter facerent. Denique hoc eis respondemus, quod Donatistis Augustinus, in consimili planè argumento: Quod dicitis, vos « facitis, non gladio visibili, sed illo de quo dictum est, Filij ho- « minum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gla- « dius acutus. Hoc enim gladio criminatore & calumniatore « orbis incogniti, imperitorum animas trucidatis. Et tamen, « pag. 141. libenter, si posset, negaret, quòd per meum latus Theologos libri Concordiæ authores confodere tentauerit, & nescio quid nugatur, & minatur, De hoc alius, inquit, erit dicendi locus. Qui, malum, alius? an non enim tot iam locis quarti Antipappi, quid de istis Theologis sentiret, nimis acerbè exposuit? Sed non satis est Sturmio communiter omnes libri Concordiæ authores calumniari: de quibusdam etiam specialiter agit, vt de Chytræo, pag. 209. *Viuo adhuc Philippo dixisse dicitur, cõtrouersias istas tolli nõ posse, nisi caput Philippi tollatur. Scit enim ipse istud fuisse in Colloquio Vuormatiensi dictitatũ inter familiares Philippi. Negauit quidem à se factum: at Phi-*

lippus ex digitulo non suxerat. Videte, quæso, Scholarchę, quorsum ab ista proiecta calumniandi libidine Sturmius abripiatur. Obiectum id quidem Chytræo fuerat in altero Vuormatiensi Colloquio: sed ita se ipsi Philippo purgauit, itaqęi satisfecit, vt Philippus ipsum eodem in Colloquio, Illustriss. postea Electori, Othoni Henrico Palatino, commendauerit. Quin & domum postea reuersus Chytræus, initio sequentis 1558. anni publica oratione de studio Theologiæ edita, de hoc crimine, amplissimè sese purgauit. Verba etsi longiuscula sunt, ascribenda tamen putaui. Huius meæ voluntatis, & perpetuæ erga Præceptorem obseruantiæ & gratitudinis vos etiam testes esse potestis, qui me aliquot annis, eruditissima D. præceptoris scripta, locos inprimis Theologicos, & Examen, & Dialecticen, & Chronicon publicè prælegentem, addita etiam crebra, & honorificentissima Præceptoris mentione, audiuistis. Quam hoc in loco eam ob causam repeto, quod inter vos quoque, & passim alibi, virulentos & falsissimos rumores spargi audio & disseminari, quibus ea mihi tribuuntur, quæ nunquam in omni vita, ne quidem in somnis mihi in mentem venerunt. Certè qui primus ex hac vrbe, voces illas de tollendo, aut extinguendo Præceptore ad alios detulit, & sparsit, is sceleratum & impudens figmentum sparsit. Quod si ex vniuersa Germania vnus aliquis fide dignus, se vllo vnquam tempore voces illas ex me audiuisse, vel ad alium à me scriptas legisse, fatebitur, & probabit: mea sponte atrocissima quæq; cruciatuum genera me promeritum esse confiteor, & crudelissima etiam supplicia non recuso. Sed certè scio, nullum esse, qui se voces illas ex me audiuisse verè posit affirmare. Et ex huius vnius mendacij atrocitate & impudentia, de cæteris etiam, quæ sine fine & modo quidam spargunt, iudicium sumi potest. ἡ δὲ τῶν πολλῶν διαβολὴ τῶν ἀφῶν

ἐν, πολλοὶ τε καὶ ἄλλοι καὶ ἀγαθοὶ ἄνδρες κέκρικε, οἶμαι δὲ καὶ αὐτόν. «
ἐδόκει δὲ δεινόν, μὴ οὐ ἐμοὶ εἴη. Ego me testimonio cōscientiæ meæ, «
& fiducia auxilij diuini, & exemplis multorum piorum, qui «
per calumniam oppressi sunt, sustento, &c. Hactenus Chy- «
træus. Post huiusmodi autem excusationem tale & tantum
crimen huiusmodi viro, de bonis literis, & Ecclesia, & pluri-
morum certè studijs optimè merito, ex mera animi impoten-
tia impingere, cuius tandem pietatis est, aut cuius charitatis,
cuius tantum sese patronum Sturmius profitetur? Cōtra ve-
rò Chytræum mihi videte, Scholarchæ, in quo nullam chari-
tatis, aut pietatis micam esse Sturmius arbitratur. In oratione
de Illustriss. Principe Vvolffgango Palatino, hoc ipso annō
edita: cum non ignoraret Chytræus, quæ de isthoc negocio
Concordiæ Sturmij esset sentētia: honorificam eius fecit mē-
tionem, necq; propter dissensionē de religione, cæteras ei lau-
des voluit auferre. Cum enim de Gymnasijs ab Illustriss. illo
Principe conditis, Hornbachiano, & Lauingano, sermonē in-
stituisset, Cuius, inquit, Lauingani, descriptio illustris, & do- «
ctrinæ, ac docēdi, discendiq; ratio, & præceptorū ac discipulo- «
rū curiæ, officia, exercitationes, & disciplinæ leges, à præstan- «
tissimo, & peritissimo artifice, Ioanne Sturmio sapientiss. cō- «
stitutæ, & publicè editæ, omniū doctrinæ studiosorū mani- «
bus versantur. Hæc ego pro Chytræo respōdere volui, non «
quòd tantus vir, cuius ego me scriptis plurimū eruditū esse li-
benter fateor, meo indigeat patrocinio: sed vt, quid de huius-
modi calumnijs sentiendū sit, omnes clariùs intelligant. Necq;
candidiùs cum Andrea Musculo agit, quem criminatur,
quòd neminem se doctiorem in Marchia ferre posit. Sumpta
autem hæc accusatio est ex duobus Sacramentariorū αἰτήμα-
σι: Omnem Cinglianum, licet Chorebo stolidiorē, doctiss. ta-
men virum esse: & rursus: Omnem Vbiquitarium, siue Lu-

theranum, licet insignibus Spiritus S. donis ornatum, asinum tamen, & stipitem, & Arcadicam pecudem esse: quibus Encomijs, Argentoratense quoq; ministerium insignire Sturmio placuit. Cui quidem ministerio tria quædam præcipua crimina obijcit: ad quæ tametsi Collegæ mei suo fortasse tempore respondebunt, suamq; & innocentiam, & Confessionem testatam facient: ego tamen nunc etiam breuiter falsissimas has criminationes refutabo.

Principio autem ex Zanchiano dissidio veterem cantilenam repetit, de mutata doctrina maiorum, & antecessorum nostrorũ, Buceri, Capitonis, Fagij, Cellij, Hedionis. Sed huic accusationi nihil verius, aut breuius responderi potest, quàm si ostendamus, nos anni 1536. Concordiam, quæ istis nostris antecessoribus probata fuit, constantiss. retinere. At negabit hoc Sturmius, & ita his anni 1536. Concordiam placuisse rursus finget, vt Oralem, & Indignorum manducationem excipierent. Sed quàm friuolum hoc commentum sit, & quàm facilè ab ipsa formula Concordiæ redarguatur, suprà ostendi. Primæ aũt huius refutationis consequens est, vt si eam nos hodie doctrinam sequimur, quam anni 1536. Cõcordia explicat: malè, imò pessimè se defenderit Sturmius: quia propterea se dicit ad Ecclesiam non venire, quòd maioribus nostris, & obseruãtia, & Confessionis similitudine obstrictus sit. Quasi verò illis adhuc viuentibus frequentior in concionibus sacris fuerit: an quasi post Zanchianã etiam controuersiam, tũ videlicet, cùm legibus nouæ Academiæ iure iurãdo se astrinxit, se istos concionatores audire, aut cũ illis communicare nõ posse protestatus sit? Et tamẽ exẽplo Nobilis. viri Iacobi Sturmij excusare se audet, & cum suo dedecore, laudes istius permiscere. Deinde anni 1563. Concordiam nõ vnũ diem à nobis seruatã esse quiritatur. An non ego hîc exclamẽ, O os, ô frõs, ô impu-

ò impudentia. Qua enim in re illam Concordiam violaui-
mus? An quia Augustanam Principum Confessionem vr-
gemus? at ad illam ista nos formula remittit: an quia primam
& non mutatam sequimur? at ea Numburgi subscripta fuit,
ipsis etiam Electoribus & Principibus testibus: an quia Ora-
lem, & Indignorum manducationem defendimus? at istas
anni 1536. formula complectitur: an quia doctrinam de ma-
iestate filij hominis profitemur? at de ea tunc ne conquesti
quidem sunt: an quia subscriptiones simpliciter & candidè
factas, simpliciter etiam & candidè interpretamur? at hoc
viros bonos magis decet, quàm Sturmiana illa simulatio, &
dissimulatio, qua se multos iam annos vti fatetur, pag. 174.
Simulator iste, & dissimulator, & multorum annorum si-
mulator, & dissimulator, & suo ipsius testimonio simulator,
& dissimulator: iste ergo simulator & dissimulator, alios ac-
cuset, quòd Concordiæ formulam non seruent: in qua sub-
scribenda ipse se simulasse, & dissimulasse fateatur? Postre-
mò Sturmius ministros Ecclesiæ Argentinensis aduersari
sibi non dubitat, neque hoc vobis ambiguum esse arbitra- Pag. 64.
tur, Scholarchæ: cur istud quæso posuit? vt ab arbitrio con-
trouersiæ huius, ad quod ipsos vobis aduocastis, segreget,
vt ne causa hæc nostra à Theologis cognoscatur: vt nemo
sit, qui de doctrinæ sinceritate admonere, qui laqueos, & pe-
dicas, quas vobis struit, vt in Cinglianorum castra Scholam
vestram traducat, animaduertere, & commonstrare vobis
possit. Doctorem etiam Marbachium, quem prius chariss.
compatrem nominauerat, multis locis flagellat: & duas qui-
dem maximè ob causas. Nam & consuetudinem cum Illy-
rico, & ea, quæ nuper de Confessione quatuor Ciuitatum
Tossano respondit, ei obijcit. Scitis autem Scholarchæ, to-
tam eam causam, quæ ad Illyricum pertinet, iamdudum à

vobis, & ab ipso Magistratu cognitam, & conciliatam inter ipsos: publicè etiam in eo scripto, quo sententiam nostram de Colloquio Lindauiensi explicauimus, ad ea omnia, quæ vel D. Marbachio, vel reliquis etiam ministris, ijsin actionibus obijci possunt, respondimus: vt superuacuum videri possit, eadem hoc loco repetere. Quia tamen & Stoumius actiones illas tam odiosè & criminosè exagitat: & alij quoque tenebriones, ex illis actionibus quædam excerpta, inuidiosè, & calumniosè edunt: breuiter actionum illarum historiam hoc quoque loco complectar: Lectori deinceps de re tota liberum relicturus iudicium. Cum enim nemine ministrorum conscio, id quod idoneis testibus probari potest, in hanc primùm vrbem Illyricus venisset, & ministrorum amicitiam & familiaritatem peteret: flagitatum ab eo ante omnia fuit, quia multas haberet cum Theologis Saxonicis controuersias, vt earum summam breuiter complecteretur, quod ille cum sese facturum recepisset, de controuersia tamen peccati Originalis nullam omninò mentionem adiecit: neque tum illa sanè publicis scriptis adhuc agitata fuerat: licet Ihenenses tunc Theologi, qui hunc in eius disputationibus errorem primi notauerant, priuatis scriptis in viam eum reducere tentarent. Paulò etiam post, cùm illa iam controuersia publica fieri inciperet, neque tamen adhuc liqueret, quid in quæstione esset: non negat studiosè id se egisse Doct. Marbachius, vt priusquam de ea re publicè aliquid ederetur, Illyricus audiri posset. Conquerebatur enim ille, suam sententiam, de aduersarijs, non rectè accipi: nihilque minus se affirmare, quàm quod sibi imputaretur. Atque hoc tantò studiosius Doct. Marbachius egit, quantò apud plærosque maiorem esse Illyrici authoritatem animaduertebat. Tandem

vero,

verò, cum aliud Illyricum agere videret, cùm apud eum admonitionibus locum nullum relictum esse animaduerteret: non subitò eum quasi mutata derepentè voluntate destituit: sed post multas & graues actiones, post multas scriptiones, quibus ab errore reuocare eum conatus est, quem prius dissimulantem suam sententiam, & proinde non rectè intellectum excusauerat, eum ipsum pertinaciter iam in errore perseuerantem, deserendum, & diuino iudicio relinquendum existimauit. Qua in re quicquid peccatum est: id omne fraudi magis, & simulationi Illyrici, quàm candori, & integritati Marbachij ascribendum est. Mirum verò est, Sturmium tam exprompta sua memoria, non recordari aliquando clariss. Theologi Capitonis: qui Suenckfeldium non modò familiaritate sua, sed domestico quoque vsu, & consuetudine dignatus aliquandiu fuit. Num'ne enim propterea reprehensus à quoquam fuit, aut accusatus, an'non hoc ipsum est, quod Sturmius flagitat, ne quem inaudita causa damnemus? Causa Sacramentaria annorum iam 60. controuersia est: & tamen audiri vult Sturmius toties auditos, qui toties scripserunt, qui quotidie scribunt? Illyrici causam nemo debuit cognoscere quæ nondum publica facta erat: & etiam inuidiosum Marbachio esse debet, ab Illyrici familiaritate, posteaquam in viam se reduci passus non est, discessisse? Sed iam tenebriones isti, de quibus dicere cœperam, etiam particulas quasdam epistolarum D. Marbachij dispergunt, ab initio illius controuersiæ scriptarum, plærarumq; etiam, antequam vllum de ista controuersia scriptum publicum esset editū, & ipsi constantes videlicet homines, leuitatis ipsum accusant: cùm si verum etiam planè esset, quod aiunt, ab errore tamen, in quem aliena fraude illectus esset, destitisse eum con-

fiteri

fiteri cogerentur. Errare, inquit Augustinus, possum: hæreticus esse nolo: at isti hæretici esse malunt, quàm errorem confiteri. Et tamen epistolas priuatim ad alios scriptas, consensum etiam illum, cui Illyrici nomen addunt, (cùm autographum testetur, Illyricum ei nunquam subscripsisse) nunquam à ministerio nostro diuulgatum, publicè edunt: neque recordantur, quid in simili argumento Lutherus, cuius tamen soli sibi esse videntur discipuli, in libello, Von den gestohlenen Briefen / responderit. Totum illum libellum recognoscant: totum illum sibi responsum arbitrentur. Sua probra isti homines, & suos errores, aliorum probris & erroribus conantur contegere. Si autem aliqua est Marbachij apud ipsos authoritas: cur non isthac in parte potiùs eum sequuntur, cur rationes eius non audiunt? cur Confessione, & excusatione illius non patiuntur sibi satisfieri? Illud saltem tempus expectarent, quo & ipsi ad gubernacula Ecclesiæ aliquando vocabuntur: ibi si multis annis, si ad vitæ vsque finem tam cauti erunt, vt nullibi impingant, à nemine decipiantur: tum verò eos, quorum candor & integritas à fraude, & simulatione hominum astutorum non satis tuta fuit, reprehendere incipiant: sed ita reprehendant, vt meminerint eos ipsos, quos reprehendere instituunt, maluisse à malorum familiaribus leuitatis accusari, quàm errorem perniciosum, & absurdum Ecclesiæ Dei obtrudere. De Brentio Osiander sine dubio respondebit: ego hoc saltem dicam: maiorem eius apud Bucerum, Fagium, Hedionem, & cæteros, qui Capitoni, & Cellio superstites fuerunt, authoritatem fuisse, quàm apud Sturmium. Possum vobis, Scholarchæ, epistolam ostendere, Brentij manu scriptam, qua Conuentui nostro Ecclesiastico gratias agit, cùm in locum Cellij defuncti, ad parochiam summi templi esset vocatus. Erudite autem

ostendit

ostendit M. Vuilhelmus Holderus, Brentij eandem semper de isthac controuersia doctrinam fuisse: & viuente etiam Luthero atque Bucero, nõ vno in commentario, neque vno tantùm loco cõstantissimè idipsum eum docuisse, quod post horum mortem, contra Bullingerum, & Martyrem defendit. Et tamen Bucerus, Hedio, Fagius, qui commentarios eius sine dubio cognouerant, qui quæ doctrina eius & Confessio esset, non ignorabant: Collegam tamen sibi illum adiungi optârunt: & ad summi nostri templi parochiam eum euocârunt. Neque tum credo Sturmius antecessorum nostrorum de Brentio iudicium reprehendere ausus fuisset: idem de eo sensisset, si interrogatus fuisset: nunc autem istis mortuis, quiduis fingit, quascunque fabulas suas authoritatem habere postulat: & in illis memoriam quoque ostentat.

Postremò, de me ipso etiam respondendum est. Non autem proposui nunc infinitis eius conuitijs respondere: tot enim mihi defensiones parandæ essent, quot ipsi Antipappi habent paginas: sed ea solùm attingam, quæ sine insigni famæ & existimationis meæ (quam vel propter ministeriũ, ad quod me vocauit Dominus, integram esse oportet) iniuria tacitè præterire, aut contemnere non possum.

Principiò autem pag. 70. mendacij me accusat, *& quidem eiusmodi mendacij, quod in se tergeminas continet falsas & mendaces calumnias: quia videlicet in præfatione proximarũ duarum defensionũ scripsi, Sturmium conari exteris hominibus persuadere, non solùm meliorem, & saniorem partem conuentus Academici, sed & tria millia ciuium, in sua esse sententia, & à mea, atque totius ministerij sententia dissentire.* Et propterea hoc mihi mendacium obijcit, vt persuadeat vobis, se è nostrorum libris complures tales mendaces calumnias afferre posse: & nos contra Sacramentarios non argumentis, nisi plumbeis, sed ca-

calumnijs tantùm, & cõuitijs certare. Quapropter & eadem pag. 70. *negat vllam à Sacramentarijs contra nos necessariam defensionem, vllam non necessariam, & grauem refutationem editam esse:* & priùs pag. 50. etiam argumento probare instituit, *melius à parte aduersaria, quàm à nostra defensam esse controuersiam Sacramentariam, id quod,* inquit, *tot tantisq; accessionibus regnorum, & populorum, & Ciuitatum potest comprobari:* & addit: *Videatur enim vtrinq; scripta, & fiat iudicium de illis, quæ hisce proximis annis sunt publicata: videatur Euangelij veritas, propagata per Galliam, Angliam, Scotiam, Poloniam, publicè: priuatim etiam in Italia, Hispania, multisq; regionibus, vbi Pontificia tyrannis vi omnia opprimit.* Ergo & ist hac propagatione Euangelij, & meo illo tergemino mendacio probare conatur Sturmius, nos mendacijs, & calumnijs opprimere, non argumentis oppugnare Sacramentariorum errorem. De propagatione doctrinæ, vtrùm ea certissimum, & indubitatũ veritatis sit κριτήριον, non huius fortasse loci est: & facile Sturmium hoc telo de statione sua Pontificij depellerent. De meo mendacio conditionem accipio: Si ego illis in verbis mendacium scripsi, quæ citat, & exagitat Sturmius: age sit, ita vt scribit. Sin verò mendacium non est, quod ego scripsi: mendacium sit, nos exteras Ecclesias mendacijs, & calumnijs oppugnare, non aũt argumentis erudire, & instruere. Duo autem mihi probanda sunt: primum, à Sturmio pag. 95. & 177. affirmari, meliorem & saniorem partem conuentus Academici, à mea, quæ totius ministerij sententia est, dissentire: alterum, hoc ipsum Sturmium affirmasse, de tribus millibus ciuium, pag. 234. Principio aũt scire velim, quæ illa melior & sanior pars sit Academici conuentus: aut quis Sturmio potestatem hanc fecerit, vt his verbis significet, esse aliquam deteriorem, & minùs sanam partem? Qui enim meliorem & saniorem

ſaniorem partem nominat, id propterea facit, quia deteriorem alteram, & minùs ſanam eſſe iudicat. Sed de illa ſua meliore, & ſaniore parte negat, ſe pag. 95. aliud ſcripſiſſe, quàm abſq; eius ſcitu theſes meas publicatas eſſe: & paginam vos inſpicere iubet: & geminum mendacium eſſe dicit, quod ego affirmaui. Sed inſpiciamus ſanè illam paginam. Continenter enim addit, *Officij ſui fuiſſe palàm oſtendere, theſes has non fuiſſe publicandas, non diſputationibus defendendas, dum Senatus de ſubſcriptione deliberaret, dum multæ Eccleſiæ, eæq; magnæ authoritatis ſubſcribere recuſarent, idem Principes aliqui facerent? an non tempus erat* ACADEMIAM *cõtra ſtultitiæ, & temeritatis ſuſpicionem defendere?* Iſtud eſt, quod præterea Sturmius poſuit, & quod oſtendit, me falsò mendacij tergemini ab eo accuſari. Quid enim in his verbis Academiam nominet, ipſe explicauit, meliorem ſc. illam, & ſaniorem partem Conſilij Academici. Hanc partem, quam nunc fortaſſe κατ' ἐξοχὴν Academiam nominat, quaſi cæteri trunci ſint, & ſtipites, ſua illa interceſſione, contra ſtultitiæ, & temeritatis ſuſpicionem voluit defendere. Meas ipſe theſes ſtultitiæ & temeritatis accuſat: illam autem meliorem, & ſaniorem partem ab hac ſuſpicione voluit defendere: an verò hoc aliud eſt, quàm ſignificare, meliorem etiam illam, & ſaniorem partem theſes meas ſtultitiæ, & temeritatis cõdemnare? quod verò rurſus quid aliud eſt, quàm cum Sturmio ſentire, & à me diſſentire? Nullum ergo in mea citatione mendacium: in Sturmij autem reſponſione, verborum iſtorum, Academiam contra ſtultitiæ & temeritatis ſuſpicionem defendere, Sophiſtica eſt παραλογιστία. Pag. autem 177. iſthoc ſcripſit: *Poſſem magnam partem Academici conuentus nominare, qui libenter & volentes non ſubſcribent, qui te poſtulante, nunquam ſubſcribent:* & hæc ipſa verba non puduit eum iſthoc Antipappo quarto, pag. 72. repetere, & tamen geminum rurſus mendacium eſſe ait, quòd ſcripſe-

rit, saniorem & meliorem partem conuentus cum ipso facere, & à mea, & Ministerij sententia dissentire. An non enim in Sturmij sententia sunt, qui libro Concordiæ recusant subscribere: an non à mea, totiusq; ministerij sententia dissentiunt? Ergo adhuc verè ego scripsi: & falsò me mendacij Sturmius insimulat. Restat pag. 234. de qua tam vehementer ille τραγῳδίζει. *An non magna aut impudentia, aut vanitas, aut stultitia est, testes nominare, qui mendacij ipsum coarguant, paginam enim nominare, quid aliud est, quàm testem citare, quem scit contra se daturam testimonium?* At hæc pagina contra Sturmium testimonium dat: & propterea magna impudentia est, ad Scholarchas ista scribere: magna leuitas est, quidquid pro vero in arbitrium aut iudicium adferre: magna stultitia est id afferre, quod primo aspectu apparet falsissimum, addo quartum, insani hominis est, historiam non extimescere, qua sano viro nihil debet esse honorabilius. Cognoscite enim quæso Scholarchæ, quæ pag. 234. Sturmius scripsit, quæ nunc occultat, & tacitè se scripsisse negat. Vbi enim Macedonio Ariano Pneumatomacho me comparat, illa ipsa 234. pagina, hæc profectò scribit, quòd ego condemnatorum tribunali sedens Macedonius ἐπὶ καταρθώμασιν harum thesium, ὡς ὀδὲ φαῦλον πεπραγὼς, ἀλλὰ καθαρὸς καὶ ἀδῶρος νομίσων θρονιζόμενος, occisis tribus amplius millibus Ciuium, ID QVOD EVENTVRVM EST, SI TIBI TVA PROCEDAT PROSCRIPTIO. Non de thesibus tantùm meis loquitur, sed etiam de proscriptione, quam ex libro Concordiæ secuturam esse dicit. Hoc igitur euenturum esse dicit, h. e. tria amplius millia Ciuium occisum iri, si mea procedat proscriptio. Non de illis tribus millibus Ciuium Constantinopolitanorum loquitur, qui à præfecti militibus occidebantur: sed de alijs tribus millibus, quos mea proscriptio occi-

ſura ſit. Hæc Sturmius ſcripſit, & ſenſit illa pagina: & tamen conqueri audet, quòd dicam, eum ſcribere, quod non ſcripſerit. Vtrum verò grauius eſt Scholarchæ: tria millia ciuium cũ Sturmio ſentire: an verò, tria illa millia ciuium, quia à me, vt illi Conſtantinopolitani à Macedonio, diſſentiunt, occiſum iri à mea proſcriptione? Et tamen pag. 74. ſcribere audet, ſe totum illum recitaſſe: nec ibi tria millia ciuium Argentinenſium reperiri, qui ſuam cauſam probent: & tamen ſequente ſtatim paragrapho calumniatur, *meas theſes non tria millia, ſed ter centena, & eo ampliùs millia, in exteris Eccleſijs animarum proſcribere*, an non in his ter centenis millibus, illa etiam tria millia latent? An non hæc vanitas, an non mendacium, an non calumnia? an non ad impudentiam vſq; profligata grauitas, pudor, veritas? quibus profligatis, quid reliquum eſt in Republ. & Eccleſia, quod bonum ciuem recreare poſſet? Sed ſatis de iſto mendacio multa.

Sequitur alterum calumnioſum mendacium, & mendax calumnia. In duobus Antipappis ſepties repetit, me oratorem cęterorum meorum Collegarum, miniſtrorum Eccleſiæ, à Senatu poſtulaſſe, vt ſcholæ liceret ſubſcribere formulę Concordiæ. Iſtud ego mendacium, & calumniam modeſtius, quàm par erat, refutaui Defenſione tertia: oſtendi tamen iniuriam mihi fieri, & ad veſtrum, Scholarchæ, totiusq; Senatus teſtimonium prouocaui. Sed quid profeci hac modeſtia, quæ à me poſtulatur? *An iſtud falſum, aut verum ſit, vos, Scholarchæ, teſtes appello: qui aut tùm in Senatu aeratis, aut de hoc Oratore audiuiſtis, quid in Senatu dixerit, quid egerit.* Non apertè iam ponit, me iſtud in Senatu dixiſſe: & tanquam quaſi dubitari non poſsit, iſtud me dixiſſe, ita hoc mendacium exagitat. Certè enim mendacium dixiſſem, ſi à ſchola mandatum me habere dixiſſem de petenda ſubſcriptione. At nihil in Se-

natu de Schola dixi: de scripto sententiam Conuentus Ecclesiastici recitaui de libro Concordiæ: videatur scriptum illud, quod in Cancellis Magistratus nostri asseruatur: manifesta erit calumnia. Itaq; propter hanc calumniã hæc ego in ipsum retorqueo, quæ pag. 79. ponit. *Dum istud non probabit, dum hoc crimine non liberabit, dum viuet, improbus Sycophanta, infamis calumniator sit, oportet, qui ista de me spargit:* siue Sturmius ipse sit, siue qui Sturmium excitant, homines maleuoli, inuidi, mendaces, proterui. Neq; propterea se excusatum fore Sturmius putet, si excipiat, sibi hoc persuasum fuisse: ab alijs se hæc audiuisse. Scit istud Menandri, ὅστις διαβολαῖσι πείθεται, ἢ γνώμης αὐτός ὄστις, ἢ πᾶσι πᾶσιν παιδαρίου γνώμλν ἔχει.

Refutaui, Scholarchæ, plæraq; omnia, quæ Commonitione & Antiproœmio Sturmiano cõtinentur: quædam etiam ex Antiosiandro attigi: eaq; ad suos locos, & argumentorum sedes reuocaui: ne sæpissimè eadem repetenda essent cum tædio. Ita enim Sturmius omnia permiscet, vt nihil semel suo loco dicat, & tamen mihi imputat, *quòd conturbem ego insipiens calumnijs Sophista omnia: & vno in loco conturbem, quæ ab ipso diuersis, & pluribus sint paginis collocata.* At istud, si peritos artis disputandi interrogetis, non conturbare est, sed conturbata Sophismata digerere, & ex motoria fabula, in qua turbulentè omnia, & sine ordine fiunt, statariam facere, & comminus hostem aggredi: vt quid in quæstione sit, quid vtrinq; afferatur, quid probetur, quid non probetur, animaduerti possit. Vestrum nunc est, Scholarchæ, causam hanc tam grauem, tam latè patentem cognoscere, iudicare, dirimere. Quid enim ex isto dissidio quotidiè oriatur, videtis: quæ incommoda, cui parti imputanda sint, & suprà ostendi, & vobis, quoties audire me coràm placebit, liquidò ostendam. Deinceps verò Pappus ἐλεγχόμενος, siquidem in lucem prodibit, mihi erit refu-

refutandus. Osiandrum enim κατηχούμενον, ei, aduersus quem scribitur, relinquam: vt & istum Antiosiandrum reliqui. Is sine dubio ostendet Sturmio, à quo excitatus ipse sit, vt Antisturmiũ primum scriberet: meq; illa accusatione facilè liberabit, & causas grauissimas ostendet, cur ad commune incendium restinguendum, sibi quoq; accurrendum putârit.

Ego magnas me ipsi, & priuatim, & publicè, Ecclesiæ nomine gratias debere libenter fateor.

CORRIGENDA

Pagina 3. linea 16. lege multos. 17. 12. deest cum. 17. 28. quarta 18. 1. dedendum bet, 59. 6. per se. 61. 3. vulgatam. 86. 3. cum ipsum. 87. 30. illa, 90. 2. redundat, in, 101. 4. ab aduersarijs.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN